

91

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

105

e28. c2.

lit 91
W-105

①

R.34

4/9

5111

~~W 35~~

~~lin 2~~

99 a/6

~~Sum 10~~

~~10~~

Handwritten cursive text, possibly a name or signature, written in dark ink on aged paper.


Handwritten cursive text, possibly a name or signature, written in dark ink on aged paper.

Handwritten cursive text, possibly a name or signature, written in dark ink on aged paper.

Handwritten cursive text, possibly a name or signature, written in dark ink on aged paper.

Handwritten cursive text, possibly a name or signature, written in dark ink on aged paper.

i 19543096



quia tacui: uerendum ne talentum quaecunque mi-
tum in terra defodiens, correptus audiam, Quare pe *Luc. 19.*
m meam non dedisti ad mensam, ut & ego ueniens *.01.10.2*
furis utiq; exegissem eam? Atque etiam illud, Qui *Mat. 12.*
olligit mecum, dispergit. Quid si illud quoque obii-
uispiam inquiring, Vides impios multos non modo
doctos putant, sed plurimos etiam blaterones & ra-
chartis suis meras nugas in uulgus protrudere, in-
s quibus legendis bonæ horæ consumantur, atque
fis ueritatem ipsam oppugnatam ante oculos cer-
tu pastor gregis Christi, ueritatem non tueberis? lu-
e pro uirili ab ouili Christi non arcebis? Diu mul-
te mecum hæc meditans, tandem statui utcunque
um abrumpere, & Christum ducem, qui sperantes
non deserit, sequi, telâq; nimium impiè in sacra my-
oniecta, scuto uerbi Dei propellere, non riuulos la-
que malorum infectâs, sed ipsos fontes & scatebras,
æc mala omnia emanarunt, petens. Porrò in uni-
n omnibus hac turbulenta tempestate catholicæ fi-
pugnatoribus, nihil tam frequens in ore est, quàm
æconium, quibus tamen ipsis, si penitius introspi-
illa fides in corde est. Etenim quanuis Christi uer-
ni luce clariora, pro ueritate mysteriorû obiicias,
us ad peruersum sensum ab omni ueritate alienum
tatum confugiunt, ut qui nihil tam altum aut re-
um in diuinis existimant, quod ratione sua se non
putêt: humana ratione omnia Dei opera metiun-
otius quàm supra captum ipsorum aliquid fecisse
um fateantur, ad tropos & figuras omnia torquêt.
uerò Christus Dei filius ab æterno, per quẽ omnia *Ioan. 1.*
nt, homo in tempore incarnatus, nihil diuina uir-
ora cæteros mortales agere posset. At uerò si qui
dios corporeis oculis haurire quærêtes, non quod
nt, peragunt, uerum ipso quo uigent lumine pri-
innumerâq; sustinent incommoda, quanto sanè

De ueritate Corporis

ET SANGVINIS DOMINI NO-

stri Iesu Christi in Eucharistia, Autho-

re Cutheberto Tonstallo Du-

nelmensi Episcopo.

PRIVILEGII SENTENTIA

Caesariensi Imperatori
republica praeterea et aliorum, hunc librum
de corpore et sanguine Domini Iesu Christi
Eucharistiae Authore Cutheberto Tonstallo Duchen-
Episcopo, ante Decemviri in hoc sacris regno
dante et regnum, in Gallia nonnulla
publica etiam in Gallia nonnulla
regnum, multa in Gallia nonnulla
Lactis Parisiorum VI CAL. IAN. M. D. LIII.

Ex mandato Regis, Jacobus Mommis Libellorum
supplicans in Regis magistratu

Bononia

LVTETIAE,

Ex officina Michaëlis Vascofani, uia Iacobæa,
ad insigne Fontis.

M. D. LIIII.

CVM PRIVILEGIO.

PRIVILEGII SENTENTIA.

Cautum est autoritate Henrici II, Galliarum Regis, ne quis alius præter Vascofanum, hunc librum De ueritate corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in Eucharistia, Authore Cutheberto Tonstallo Dunelmēsi Episcopo, ante Decennium in hoc Franciæ regno excudat né ue alibi excusum, in Gallias uenalem adducat. Si quid aduersus ea factum erit, librorum publicatione, arbitrariâq; multa in Sæctione æstimata, uindicabitur. Datũ Lutetiæ Parisiorum VI CAL. IAN. M. D. LIII.

Ex mandato Regis, Iacobo Memmio Libellorum
supplicum in Regia magistro præsentē.

Bourdinus.

CVTHEBERTI TONSTALLI DVNEL-
mensis Episcopi, Præfatio ad Lectorem.



Vis dabit capiti meo aquam & oculis meis *Hier. 9.*
fontem lachrymarum, ut plorem die ac no-
cte sanctæ matris ecclesiæ nostra ætate mi-
seriam? Quæ cum in præteritis seculis, mul-
tis & uariis infestata fuerit hæresibus, eas
omnes gladio spiritus subinde, ut sunt enatæ, iugulatas sic
prostrauit, ut apud posteros ne radices quidem earū ite-
rum pullulare posse putarentur. At nunc illæ, quæ longa
obliuione sepultæ uidebantur, non modò rursus exerunt
capita & reuiuiscunt, sed nouos quoque & numerosos se-
cum fetus seipsis pestilētiores in lucem edunt: noua etiã
dogmatum monstra prodeunt, nouiq; eorum præcones
ἄλλα πρόσολοι non Pauli similes, imperiti sermone sed non *2. Cor. 10.*
scientia, uerum magna linguæ uirulentia suum uirus ef-
flantes: quibus nihil in ore est nisi lucem euangelij nunc
tandem prodire, tenebras ueteres longè effugatas, liber-
tatem euangelicam postliminio reductam esse. Cæterum
isti pro sapientia & scientia, crassam diuinarum rerū ostē-
tant ignorantiam: at ignorantiam illam supplet & susten-
tat arrogantia summa, perfricta frons, impudentia incom-
parabilis. Etenim abstrusissima queque Prophetarum, &
Apocalypsis loca, se luce clariora reddituros spondent, &
quid non? ut qui supra tertium cælum, & Paulum ipsum *2. Cor. 12.*
rapti, nihil nō temerè effutire audent: atque ea uerba gar-
rire non formidant, quæ hominem non mente captum
eloqui pigeret. Libris & chartis suis orbem replent, atque
eò pluribus quò quisque est imperitior, nihil non sibi sci-
re arrogantes, & quid non audentes? Sacrosanctã Eucha-
ristiam sua dignitate spoliare, & in ordinem communis
& cibarij panis & uini redigere satagunt: Nempe qui nec
Christi præsentiam, nec ueritatē corporis eius ullam ha-
bere eam astruunt, idque libris editis propugnant: sensum

P R A E F A T I O

uerborum Christi ab Apostolis acceptum, cōsensumque
 sanctæ matris ecclesiæ, ea in re suos duces sequentem rei-
 ciunt: scripturæ sacræ uerba se sequi, ea se sola amplecti, il-
 lis adhærere se uelut sacris anchoris affirmant. Id quod eo
 consilio faciunt, ut si quis errorem eis ullum impingat,
 ad uerborum sensum è suo cerebro confictū confugiant,
 sese solos recta sequi tuētes. Irenæus autē inquit, Quem-
 admodum si quis regis imaginem ex gemmis preciosis
 ab admirādo artifice fabrefactam soluens, pulchrāmque
 illam humanæ formæ speciem in ridiculam uulpeculæ
 figuram effingens, propter gemmarum splendorem pro
 regis imagine eam existimari uelit: eodem modo isti uer-
 ba Dei suis fabulis aptantes, fidem suis figmentis haberi
 postulant. Nam quis unquam hæreticorum sacrę scriptu-
 ræ partem aliquam à recto sensu detortam, non pro um-
 bone opposuit? Quo fit ut quisque solum sibi iudicem se-
 ipsum constituat, nec ullum alium, imo neque ecclesiam
 Christi sponsam, ipsam ueritatis columnā admittat. Con-
 cilia generalia tametsi œcumenica, quando à suis delira-
 mentis dissentiant, errasse plane contendunt: uerbis scri-
 pturæ standum, ab iis non recedendum asseuerāt. Et cum
 in una domo, sæpenumero sint multi diuersa & inter se
 pugnantia sentientes, nemo tamen eorum ea modestia
 reperitur ut alteri cedat, à se quisque solam ueritatem sta-
 re contendit: ita ueritatem quæ secum ipsa consentiens,
 à se dissentire nequit, corruere in plateis cogunt. Heu mi-
 seram sanctæ matris ecclesiæ conditionem, quæ eiusmodi
 è suggesto concionatores nunc ferre cogitur, qui ni-
 gra in candida uertunt, qui dicunt tenebras lucem, & lu-
 cem tenebras: qui dicunt malum bonum, & bonum ma-
 lum: qui dicunt amarum dulce, & dulce amarum? Sed dum
 in tantis malis, quid faciendum sit, mecum ipse confide-
 ro, occurrit in primis illud Ecclesiasticis, Omnia tempus ha-
 bent, tempusque esse tacendi, & tempus loquendi. Si si-
 leam, uerendum ne cum propheta Esaia dicere cogar, Ve
mihi

*Lib. I. cap.
 I. aduers.
 hæres.*

Esa. 5.

Eccle. 3.

Esa. 6.

mihi quia tacui: uerendum ne talentum quaecunque mihi datum in terra defodiens, correptus audiam, Quare pe- *Luc. 19.*
 cuniam meam non dedisti ad mensam, ut & ego ueniens *.01.180.2*
 cum usuris utiq; exegissem eam? Atque etiam illud, Qui *Mat. 12.*
 non colligit mecum, dispergit. Quid si illud quoque obii-
 ciat quispiam inquiring, Vides impios multos non modo
 qui se doctos putant, sed plurimos etiam blaterones & ra-
 bulas chartis suis meras nugas in uulgus protrudere, in-
 dignas quibus legendis bonæ horæ consumantur, atque
 illis ipsis ueritatem ipsam oppugnatam ante oculos cer-
 nis: & tu pastor gregis Christi, ueritatem non tueberis? lu-
 pōsque pro uirili ab ouili Christi non arcebis? Diu mul-
 tūmque mecum hæc meditans, tandem statui utcunque
 silentium abrumpere, & Christum ducem, qui sperantes
 in se non deserit, sequi, telāq; nimium impiè in sacra my-
 steria coniecta, scuto uerbi Dei propellere, non riuulos la-
 cunāsque malorum infectās, sed ipsos fontes & scatebras,
 unde hæc mala omnia emanarunt, petens. Porro in uni-
 uersum omnibus hac turbulenta tempestate catholicæ fi-
 dei oppugnantibus, nihil tam frequens in ore est, quàm
 fidei præconium, quibus tamen ipsis, si penitus introspi-
 cias, nulla fides in corde est. Etenim quanuis Christi uer-
 ba omni luce clariora, pro ueritate mysteriorū obiicias,
 protinus ad peruersum sensum ab omni ueritate alienum
 excogitatum confugiunt, ut qui nihil tam altum aut re-
 conditum in diuinis existimant, quod ratione sua se non
 assequi putēt: humana ratione omnia Dei opera metiun-
 tur, & potius quàm supra captum ipsorum aliquid fecisse
 Christum fateantur, ad tropos & figuras omnia torquēt.
 Quasi uerò Christus Dei filius ab æterno, per quē omnia *Ioan. 1.*
 facta sunt, homo in tempore incarnatus, nihil diuina uir-
 tute supra cæteros mortales agere posset. At uerò si qui
 Solis radios corporeis oculis haurire quærētes, non quod
 instituunt, peragunt, uerum ipso quo uigent lumine pri-
 uantur, innumerāq; sustinent incommoda, quanto sanè

magis qui in æternā illam lucem defigere obtutus quaerit, eamque rationibus consequi mortalibus, omnino excutiet? Et cum per fidem in captiuitatem omnis intellectus redigendus sit in obsequium Christi, humanum ingenium aduersus altitudinem Dei adeo se extollit, ut id fieri non posse iudicet, cuius rationem perscrutando inuestigare nequit, immemor illius uerbi Christi, Apud Deum omnia possibilia esse. Itaque nisi tu Christe, istorū hominum tam proteruè in mysteria tua insultatium, stolidam audaciam cōpescueris, & ecclesiam tuam ab istorum insana temeritate protexeris, nihil quisquam spōsam tuā tueri conatus profecerit. At si tu, sine quo nihil quod rectum est agere mortales possunt, cœptis nostris fauens exurgas: dissipabuntur illico inimici tui, & fugient qui te oderunt à facie tua: cæteraque omnia tranquilla succedent. Tuo igitur Christe auxilio freti obsecramus, ut lumine gratiæ tuæ nos illustres, & rem destinatam tutò sine formidine aggrediemur, ut corporis & sanguinis tui ueritatem in Eucharistia esse, ex ipsis tuis uerbis euincamus, atque huic ueritati aduersantium peruersa dogmata, è fidelium circumuentorum mentibus te fauente, sine quo nihil possumus, eradicare conemur. Vale.

2. Cor. 10.

Mat. 19.

Psal. 67.

Anno Domini 1551.

4

DE CHRISTO IESU

FILIO DEI ET FILIO HOMI-

nis in una persona, & in duabus naturis: & de
sancta eius inter homines cōuersione, morte,
resurrectione, & in cælum ascensione.



Ntequam de mysteriis quicquam tractare tentemus, cōducibile fore existimamus, ea quæ Epiphanius de sancta Christi inter homines in terris conuersione, morte, resurrectione, & in cælū ascensione, in summa collegit in fine operis sui quod Panarium inscripsit, in fronte hic inferere, ut cognita Christi filij Dei & filij hominis mysteriorum ipsorum opificis immensa magnitudine, inenarrabili potentia, ac ineffabili dilectione, qua genus humanum prosequitur, magis ea mysteria nostri causa ab eo instituta amplectamur, ueneremur, & admiremur. Epiphaniij autem sunt uerba ea quæ sequuntur.

Post hæc uisus est in terra, & cum hominibus *Baruc. 3.*
conuersatus est. Et quòd reuersus à Iordane, ma- *Luc. 4.*
nifestè ac uerè à diabolo tentatus est in deserto,
& efuriit postea propter consequentiam & ueritatem aduentus in carne. Et quòd elegit discipulos, & prædicauit ueritatē, & curauerit mor-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

bos, dormierit, esurierit, iter fecerit, Dei signa operatus sit, mortuos excitavit, cæcis uisum restituerit, claudos & paralyticos fortes fecerit. Et quod prædicarit ueritatem, ipsum euangelium, regnum cælorum, suam erga homines benignitatem, itémque patris ac spiritus sancti. Et quod pro nobis passionem subierit in ueritate, in carne & in perfecta humanitate. Passus in ueritate in cruce, præsentem ipsius deitatem, sed non ad patiendum conuersa, sed à passione aliena & immutabili: ita ut duæ hæ consequentiæ clare considerentur in Christo patiente pro nobis in carne, uerum passionis exorte manente in deitate, non homine per se existente, & per se item deitate, sed simul præsentem deitatem, non patientem autem propter essentiæ synceritatem ac incomparabilitatem, patientem autem ipso in carne, & mortem sentiente in carne, uiuente uerò semper in deitate, & suscitante mortuos, corpore sepulto in ueritate. Et quod exanimis manserit per triduum sine spiratione, ac sine motu, inuolutusque sit in syndone, & depositus in monumento concluso per lapidem & sigillis additis, non conclusa deitate, non sepulta deitate, sed simul cum sancta anima descendente ad inferna, & auferente illinc animarum captiuitatem, frangente stimulum mortis, perrumpente claustra & uectes adamantinos, exolente dolores mortis in propria potestate: ita ut

redierit

redierit cum anima, non relicta anima in infer- *Psal. 15.*
no, quādo neque uiderit caro ipsa corruptionē,
cum ipsam deitas semper ipsi præsens excitarit,
ita ut resurrexerit ipse dominus & Deus, & uer-
bum ac filius Dei cum anima & corpore, ac uni-
uerso organo cunito ipsius organo in spiritum
ipsum uidelicet corpus spirituale existens, quod
aliquando tactui subiectum fuerat, & flagris tra-
ditum uoluntaria deitatis uoluntate, & tentari
à diabolo permissum, ac famem sentire & som-
num, & ærumnam, tristitiámque ac mœrorem,
ipsum hoc corpus sanctum cunitum est de cæ-
tero deitati: deitate indefinenter simul præsentem
corpori ipsi sancto talia passo.

Surrexit enim & cuniuit ipsum in seipsum
in unum spiritum, in unam unitatem, in unam
glorificationem, in unam sui ipsius deitatē. Ap-
paruit enim in ueritate, & cōtractatus est à Tho *Ioan. 20.*
ma: & cum Apostolis cibum accepit, & cohabi-
tauit cum ipsis quadraginta diebus & quadra-
ginta noctibus: imo ingressus est foribus cōclu-
sis, & ingressus, ostendit neruos & ossa, typū cla-
uorum & typum lanceæ, quòd ipsum esset uerè
corpus, & quòd coniunctum esset in unam uni-
tatem & in unam deitatem, non expectans am-
plius ut patiatur, non amplius moriēs, uelut san- *Roma. 6.*
ctus Apostolus ait: Surrexit dominus, non am-
plius moritur, mors ipsi nō amplius dominatur,
passibile, impassibile, & passionis exors perma-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

nens semper diuinum cum corpore & anima, & uniuerſa humanitate. Et quod ipſe deus exiſtens aſcēdit in cælos, & ſedet in dextera patris in gloria, non deſiſto ſancto corpore, ſed cōiuncto in ſpirituale in unius deitatis perfectione: quemadmodum etiam circa noſtra corpora futurū eſt, quæ nunc ſeminantur animalia, reſurgent ſpiritualia: Quæ nunc ſeminantur in corruptione, reſurgent in incorruptibilitate: Quæ nunc ſeminantur in morte, reſurgent in immortalitate. Si itaque noſtra corpora ſic, quanto magis illud ſanctum, & inenarrabile & incomparabile, ac ſincerum & Deo cōiunctum, quod unum eſt de cetero uniforme? Velut etiã in hoc teſtatur Apoſtolus, dicens: Etiam ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, at nunc non amplius cognoſcimus. Non quòd diremit carnem à deitate, ſed quod ipſa maneat & Deo cōiuncta ſit: non autem amplius ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritū, uelut ait, ſanctificationis ex reſurrectione à mortuis Ieſu Chriſti domini noſtri, hunc ſimul Deum habēs paſſionis exortem, & paſſum & ſepultum, & qui reſurrexit, & aſcendit in gloria, uenturus ad iudicandum uiuos & mortuos, uelut dicit in ueritate, cuius regni nō erit finis. Etenim credit hæc mater noſtra ſancta Eccleſia, quæ admodum ipſi uerè prædicatum eſt, & uerè præſtitutum eſt: Quòd obdormiemus omnes ac reſurgemus cum corpore hoc, cum anima hac, cum

toto nostro organo, ut unusquisq; recipiat prout fecit: Quòd est resurrectio mortuorum, & iudicium æternum, & regnum cælorum, & requies iustis, & hæreditas fidelium, & tripudium cum angelis, eorum qui fidem seruarunt, & castitatem ac spem, & Domini mandata. Verè insuper & prædicatum, & certò confirmatum est, ac creditur, quòd alij resurgent in uitam æternam, & alij *Mat. 25.* in iudicium æternum, uelut scriptum est in Euãgeliis. hætenus Epiphanius.

His adiungendum est quod in symbolo Ephesino Cyrillus sic scribit: Neque uerò carnem in diuinitatis mutari naturã, neque inenarrabilem uerbi Dei naturam, in naturam carnis transferri dicimus. Est enim omnino immobilis & immutabilis, eadem perpetuo secūdum scripturas permanens. Et cū uisibilis factus, infans adhuc & in cunabulis, ac sinu genitricis Virginis esset, omnem impleuit creaturam, tanquam Deus, & genitori assedit. Numen enim & sine quantitate, & sine magnitudine est, nec circumscribi potest. hætenus Cyrillus.

Cognitis autem his, & solertius animo consideratis, quæ iam nunc breuiter prodita sunt, de Christi Dei & hominis miraculosa incarnatione: de sancta inter homines in mundo conuersatione, qua latentem in homine Deum, & uerbis & operibus prædicabat: de preciosa morte, qua deletum est quod aduersus nos erat chi- *Coloss. 2.*

IN EVANGELIUM LIB. II.
rographum, & affixum cruci: de gloriosa resur-
rectione, qua filij diuinitas in Christo, mortem
filij hominis in eodem ad uitã excitauit: de ad-
mirabili in cælos ascensione, qua spei nostræ ad
futuram gloriam sacra anchora firmata est:

non mediocri præsidio futura ea puta-

mus, ad perscrutanda illa penitius,

quæ de mysteriis Christi no-

bis ab eo tradita sunt, ad

quæ iam è uestigio

properamus in-

uestiganda.

7

DE MYSTERIIS ET SACRAMENTIS.



E mysteriis dicturū, ante omnia explorare oportet quid nā fit mysterium, quidq; cōprehendat, ne alioqui multa de mysteriis uerba facturus, ueluti qui extra præstitutū certantibus stadium currēs, laborando duntaxat se frustra fatigat, & præter lassitudinem nihil assequitur: ita & ipse intra mysteriorum metas in differēdo non se continēs, dum aberrat à scopo, palmam apprehendere nequit. In primis igitur obseruādum est, mysteriū, Græcum esse uocabulum, quāuis sæpenumero à Latinis usurpatum, significarēq; arcanum quiddā, uel sub quo arcani aliquid latet, quodq; nō perficitur nisi occulta aliqua sacrōrū ratione. Nam mysteria uocātur interdum res hominum arcanae occultæq;, quas uulgo effari nephas habetur, ut est apud Salomonem in Prouerbiis: *Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulēter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.* Et in Ecclesiastico, *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.* Dicuntur itidem mysteria sacra Dei arcana, ut est apud Matthæum de semināte semen suum: ubi Christus ait discipulis suis, *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorū, cæteris au-*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

- 1. Cor. 2.* tem in parabolis. Et apud Paulum ad Corinthios de prædicatione uerbi Dei scribentem: Loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram. Et ad Timotheum de incarnatione uerbi Dei inquit, Magnū est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, uisus est angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria. Et ad Romanos de eadem incarnatione, Secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taci-
Roma. 16. ti, quod patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei ad obedientiam fidei. Eiusmodi etiam occulta Dei ar-
Roma. II. cana Paulus Romanis commemorat, inquit, Nolo enim uos ignorare fratres mysterium hoc, ut nō sitis uobismetipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et
1. Cor. 15. Corinthiis de resurrectione scribit, Ecce mysteriū uobis dico: Nō omnes quidem dormiemus, omnes tamē immutabimur, in puncto tēporis, in momento oculi per extremam tubam. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. Idem illud my-
1. Theff. 4. sterium etiam Thessalonicensibus scribens memorat, inquiēs: Hoc enim uobis dicimus in uer-
bo

bo domini, quòd nos qui uiuimus & reliqui sumus in aduentum domini, nequaquam præueniemus eos qui dormierunt, quoniã ipse dominus in iussu & in uoce Archangeli, ac tuba Dei, descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgēt primi: deinde nos qui uiuimus, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus, in occursum domini in aëra, & sic semper cum domino erimus. Et Ioannes in Apocalypsi *Apoca. i.* mysterium septem stellarũ exponit. Quę omnia Dei secreta, nisi Paulus & Ioannes nobis aperuissent, adhuc incognita nos laterent.

Sacra etiam signa à Græcis mysteria, à Latinis sacramenta appellãtur, ut Paulus ad Ephesios *Ephe. 5.* de uiri & uxoris coniunctione loquẽs ait: Sacramentũ hoc magnum est, ego autẽ dico in Christo & Ecclesia. Quo sensu nonnunquam à Latinis mysteria capiuntur: ut ait Paulus ad Corinthios, Sic nos existimet homo, ut ministros Christi *i. Corin. 4.* & dispensatores mysteriorum Dei. Cæterum de mysteriorum omnium generibus in hoc opere tractare, nobis nec animus est, ne supra sobrietatem sapere uideamur: & nos de spiritu Dei nõ tãtum haufisse nobis conscij sumus, ut uel abdita & latẽtia Dei arcana omnia, prout par est, uel intelligere, uel intellecta uerbis aptis singula p̄sequi, illustrarẽque ualeamus.

Itaque nos in hoc tractatu, corporis & sanguinis domini ueritatem esse in Eucharistiæ sacra-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

mēto, si Christus nobis annuerit asserturi, utroque uocabulo & mysterij, & sacramenti indifferenter utemur, sed frequētius nomine sacramenti, quod Latinis magis auribus est familiare. Verū priusquam nostrum aggrediamur institutum, commode hic aperienda est probatissimorum ueterum de sacramentis, concors illa sentētia, quæ est eiusmodi: Sacramenta sunt sacra signa, & symbola, Dei erga nos uoluntatis. Eaq; in nouo testamento certa & efficacia signa sunt, & uehicula gratiæ diuinæ, gratiam digne ea sumētibis conferentia.

Sapien. 9.

Sacramenta cum sint gratiæ Dei, & sanctificationis nostræ signa efficacia, ex duobus constāt: nimirū ex signo ipso, uidelicet externo elemento, inuisibilem gratiam adumbrāte, & uerbo, per quod spiritus sanctus gratiā illam secretò operatur. Nam quia propter carnem nostram (cuius mole uis animi aggrauatur) ad spiritualē Dei gratiam suscipiēdam hebetes sumus, ac externi alicuius auxiliij indigentes, quo fragilitas nostra simul & excitetur & erudiatur: idcirco ad infirmittatis humanæ curationē, Deus spiritua- lem gratiæ suę medicinam, signis quibusdā sensibilibus obuelatā adhibuit: quæ Græci symbola seu mysteria, Latini quidam sacramenta, quidam sacramentalia signa uocant. Hæc sacramēta, ne quis de eorum uirtute & efficacia dubitaret, Christus uerbo suo, & promissione confirmauit:

mauit: cuius promissionis diuinæq; operationis effectus, signis illis nunquã deest, nisi suscipientis uitio & indignitate, interueniat obstaculum. Cuiusmodi sunt baptismus, pœnitentiæ sacramentũ, Eucharistia, siue sacramentũ corporis & sanguinis domini, ac cætera sacramenta: quorum singula quæq; proprias habet promissiones, uerbo Dei tanquam firmissimo fundamẽto subnixas, ac nomenclaturæ suæ conuenientes & accõmodas. Baptismus habet promissionem gratiæ, regenerationis & regni cælorum sibi annexam, sicut hoc loco: Amen amen dico tibi, nisi quis *Ioan. 3.* renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorũ: & alio loco, Qui *Mar. ult.* crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Pœnitentiæ sacramentum promissionem remissionis peccatorũ habet, & restitutionis in societatem mystici corporis Christi, quod est Ecclesia: sicut hic, Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis. *Ioan. 20.* Porro Eucharistia, siue corporis & sanguinis sacramentum, promissionem habet uitæ æternæ, & mansionis in Christo: sicut apud Ioannem, Qui *Ioan. 6.* māducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea, uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus: qui edit meam carnẽ, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: ita & qui ederit me,

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

uiuet ipse quoq; propter me. Itaque Eucharistiæ digna receptio, membra nos Christi constituit, sicut è cōtrario per indignam eius receptionem iudicium secum ferentem, Satanæ membra nos ipsos efficimus.

Porro uerbum Dei gratiæ nobis promissionē offert: sacramentale uerò signum uelut sigillum est uerbi Dei, rem promissā exhibens. Ideo quæ admodū promissio nobis inutilis est, nisi apprehendatur per fidem: sic sacramentale signum similiter nobis inutile est, nisi credatur id nos recepturos, quod signatum est. Nam alioqui si per sacramenti signum, nihil quod non apparet recipiatur, iam signum ipsum inefficax erit, nihilq; insignioris efficiētiae, maiorisq; gratiæ, nostris noui testamenti sacramentis ex passionis Christi uirtute accessisse dicetur, quàm his sacramentis affuit, quæ fuerunt in ueteri testamento.

In sancto autē Eucharistiæ sacramento, cuius dignæ sumptioni annectitur gratiæ promissio, duo considerāda sunt, uidelicet & signum sensibus nostris expositum, & simul uerum corpus Christi, nō sensuum iudicio, sed fide cognoscēdum, sicut apparet per ipsa uerba seruatoris, dicētis: *Luc. 22.* Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: *Mat. 26.* Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Quæ uerba ab ipsis Ecclesiæ catholicæ post Christum passum incunabulis, absque allegoria ulla,

ulla, metaphora, tropo, aut figura, orthodoxorū
 omniū consensu semper intellecta, plane decla-
 rant Christi corpus, non solū figuratiuè, nō so-
 lū significatiuè (ut peruersorum dogmatū au-
 thores loquuntur) sed ipsum uerum & naturale,
 quāquam iam spirituale, Christi corpus sub spe-
 cie panis: & uerum naturalēq; Christi sangui-
 nē, tametsi iam spirituale, sub uini specie, actu,
 re ipsa, & in ueritate adesse. Quam rē uerba ipsa
 de corpore & sanguine domini, Lucae uicesimo
 secundo interposita, nempe (quod pro uobis da-
 tur, & qui pro uobis effunditur) manifestè testan-
 tur: scilicet Christum corpus suum non in figu-
 ra solū, nec in sola significatione, sed ipsum na-
 turale corpus suū, uerè in mysteriis præsens edē-
 dum: & naturalem sanguinē suum, uerè in my-
 steriis præsentem bibēdum, ea ueritate porrexif-
 se, qua illud idem corpus in ara crucis pro no-
 stra redemptione in mortē dedit: & qua uitalem
 uiuificūq; sanguinem suum, in remissionē pec-
 catorū nostrorū effudit. Hoc enim corpus man-
 ducamus, de quo dixit Christus, quod pro uobis
 datur: & hunc sanguinē bibimus, de quo ille di-
 xit, qui pro uobis effunditur. Quod quidē cor-
 pus post resurrectionem eius iam spirituale cor-
 pus est: nā Paulus ait, Seminatur corpus anima-
 le, resurgit corpus spirituale. Et in sacramento
 ipsum spirituale corpus inuisibiliter, spirituali-
 tēque datur, & à fidelibus sumitur: similiter &

1. Cor. 15.

nō subiectus
 corporalis
 passio

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

fanguis iam spiritualis, inuisibili spiritualiq; modo, sed uerè tamen in sacramèto datur, & à fidelibus sumitur. Cuius rei frequètem memoriam haberi Christus iussit subdens: Hoc facite in meã commemorationem. Ex quo constat, Christum discipulis suis præcepisse, ut id agerèt quod egit ipse: nimirum, ut panem acceptũ gratias agètes benedicerent, frangerent, eundemq; distribuerent, dicentes: Accipite, manducate, hoc est corpus meũ, quod pro uobis datur: hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro uobis funditur. Hic nos uerbo Christi fidẽ habentes fateri oportet, per omnipotentiam uerbi, & uirtutem & efficiẽtiam spiritus sancti, id fieri quod Christi uerba palam significant. Nempe Christũ sacris suis uerbis, & spiritus sancti uirtute, sub specie panis & uini præsentiam sui ueri corporis & sanguinis reuera facere, ut Christum profitentibus distribuantur à ministris, sicut fecit Christus ipse.

Quidam fortasse dicent, mea ratio, meum ingenium, mea solertia tanti mysterij capax non est. Atqui his cõtinuo respõdendum est: Non oportere nos in materia fidei, nostræ rationi, ingenio, siue sensui auscultare, sed permittere fidem per uerbum Dei seipsam sustentare, ac illi inseparabiliter adhærere: atq; in eiusmodi rebus fidei, omnem intellectum & rationem, in captiuitatẽ redigere in obsequium Christi.

Porro uerbis Christi omnibus absque hæsitacione

*neq; corp' pot
resurrexerit
ut paul' uult
cõspicere
nõ subiectu
corporis q' uis
ti et solidati
effici q' hanc sub
tali et si uelut
palpabile et
lõa lege expu.
tuz ut clausis
penetret rati
15*

tione ulla firmiter credendum est. Is enim (ut inquit Hilarius) cum sit Dei uerbum per quod cuncta creata sunt, uerborum significationem ignorare non potest. Et qui ueritas est, loqui non uera nescit: quiq; sapiētia est patris, temerè aliud pro alio, aut stulte loqui nō uolet. Et cum sit uirtus, & potētia patris, non ea est infirmitate, ne possit eloqui, quæ uellet intelligi. Itaq; uniuersa Christi uerba certissima sunt oracula ueritatis, ut nemini Christiano liceat de fide uerborum Christi dubitare, tametsi nostri ingenij exilitas, ad intellectum eorum penetrare non ualeat. At si quis forte nimium sibi arrogās, sensum adulterinum ex uerbis Christi in hoc mysterio elicuerit, quid huic reliquū est, nisi ut cōtrā Christus eū à se diuidēs, partē eius cū infidelibus aliquādo ponat? *Luc. 12.*

Multi in hoc sacramento abhorrentes Christi uerba penitus abnegare, non minus temere eadem male interpretando errant, qui arbitrantur nihil in Eucharistia esse, nisi signum nudum significans Christum non præsentem, siue solam figuram sanctissimi corporis Christi absentis, & non uerum reuera Christi corpus esse.

Proinde hoc insanum deliramentū tantopere errans, omnino reiiciendum est, atque ex ipsis Christi uerbis asseuerandum, firmiterq; credendum, in sancto Eucharistiæ sacramēto reuera & speciem panis & uini esse: atq; etiā uerum Christi corpus spirituale, & sanguinem spirituale.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Speciem panis & uini sese conspectui nostro offerentem, oculis nostris uidemus, ueritatē corporis & sanguinis Christi cōstare in Eucharistia, fides habenda uerbis Christi postulat. Christus nāque qui fidelis est in omnibus uerbis suis manifeste ait: *Luc. 22.* Hoc est corpus meū, quod pro uobis datur: Hic est sanguis meus, qui pro uobis funditur: non metaphoricè, non phantasticè, non tantum in signo, sed sicut ipsa uerba manifestāt, uerum & naturale corpus quod pro nobis datū est: & uerum & naturalem sanguinem, qui pro nobis fusus est in redemptionem nostram: ac nō magis ea significatiuè siue figuratiuè esse dicta, quàm sint hæc uerba Ioannis euangelistæ: *Ioan. 1.* Verbum caro factum est. Vel hæc uerba Petri: *Mat. 16.* Tu es Christus filius ille Dei uiui. Aut hæc uerba Samaritanorum: *Ioan. 4.* Ipsi enim audiuius, & scimus quòd hic est uere saluator mundi. Aut hæc uerba Dei patris: *Luc. 3.* Tu es ille filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

Iam si uerè intelligimus hæc uerba iam citata, penitus citra allegoriam ullam, metaphoriā, tropum figuramue dici, neque alio intelligi modo, quàm ipsa uerba germano sensu significant, ac docent, qua quæso tum cogemur necessitate, in uerbis hisce luce clarioribus (nēpe: Hoc est corpus meū, quod pro uobis datur: Hic est sanguis meus, qui pro uobis fūditur:) peregrinū sensum extorquere, alienūmque à uerborum significatiōe,

tionem, & coactum magis quam genuinum sequi?

Præterea in his scripturis iam adductis, uerbum es, uel est, non potest accipi pro significat, uel pro figura intelligi, quia tunc uerbum caro non reuera factum est, sed signum est uerbum carnem esse factum, uel figura est carnis factæ. Et Christus non erit uerè ille filius Dei uiui, sed significat filium Dei uiui, uel est figura filij Dei uiui. Et Christus non erit nobis in actu saluator mundi, sed significat saluatore mundi, uel est figura saluatoris mundi. Neque ex uerbis illis patris: Tu es ille filius meus dilectus, pater dixit, Christum esse filium suum dilectum, sed Christum solum significare filium suum dilectum, uel esse figuram filij sui dilecti. Cæterum quis non uidet quam absurda quamque insana sunt ista? Imo quæ maior blasphemia potest excogitari, quam facere & Deum patrem, & Christum Dei uerbum, dissimulatores, imo manifestè mendaces?

Neque hæ scripturæ, scilicet: Hoc est corpus meum: Hic est filius meus: Ipse est saluator mundi, &c. sunt similes istis: Ego sum uitis: Ego sum ostium: qualia multa manifestum habentia tropum, sacramenti aduersarij cogerunt, ut astruant sicuti in illis, sic etiã in his uerbis: Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus: subesse tropum. inter quæ tantum interest, quantum inter cælum & terram. Certè in primis illum tropum qui frequens istis in ore est: nempe, petra erat Christus, Paulus de

Ioan. 15.

Ioan. 10.

1. Cor. 10.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

uenturo Christo figuram esse aperit, cum petra in deserto à Moyse percussa, patribus aquam copiosè funderet. Neque infrequēs cuiquam uideri debet, pleraque patribus ante aduētum Christi, per tropos & figuras declarata fuisse, quibus omnia in figura contigisse Paulus docet.

I. Cor. 10.

Porro tropos in scripturis frequentes haberi, multæ admodum causæ cogunt. Sæpe enim in parabolis aliquid per tropos enūciatur, qui ad sui declarationem planiora uerba requirūt, ut dum

Luc. 8.

Christus parabolam de seminante semen suum exponens, dixit: Semen est uerbum Dei: qui autē secus uia, hi sunt qui audiunt: deinde uenit diabolus, & uerbum de corde eorū tollit, ne credentes salui fiant, & quæ sequuntur. Vel cum per parabolam in somnis, Deus aliquid futurū aperit,

Gen. 41.

sicut Ioseph Pharaoni somnium enarrās, ait: Septem boues pulchræ, & septē spicæ plenæ, septē ubertatis anni sunt: & septem boues tenues, & septem spicæ tenues, septem anni uenturæ sunt famis. Interdum tropi adduntur, uel ad increpationem eorum, qui duris uerbis arguuntur, sicut

Mat. 23.

Christus scribis & pharisæis inquit: Serpentes & genimina uiperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? & de Herode dixit: Ite, dicite uulpi illi.

Luc. 13.

Et Petro: Vade post me Satana, scādalum es mihi. Et discipulis, de Iuda loquens: Unus ex uobis diabolus est. Vel dum quispiā ob uirtutē

Mat. 16.

laudibus extollitur, ut de Ioanne Baptista Chri-

Ioan. 6.

stus

Ioan. 6.

stus

stus dixit, Ipse est Elias. Et de eodem, Ille erat *Mat. II.*
lucerna ardens, & lucēs. Vel dum affectus dile- *Ioan. 5.*
 ctionis exprimitur, quemadmodum matri de di-
 lecto discipulo, Christus in cruce pendens dixit:
Mulier ecce filius tuus, & deinde discipulo in- *Ioan. 19.*
 quiens, Ecce mater tua. Nonnunquam per simi-
 litudinem aliquid proponitur, quò profundius
 memoria recondatur: ueluti dum Christus ait,
Ego sum uitis, uos palmites, apertè ipse similitu- *Ioan. 15.*
 dinem enarrans, dicēdo: Nam sicut palmes non
potest ferre fructum à semetipso, nisi māserit in
uite, sic nec uos nisi in me manseritis. Ille gratiæ
 suæ succum nobis in se manētibus suppeditans,
 nos fructuosos reddit, sicuti palmiti uitis succū
 ministrans, ipsum botros proferre facit. Ad hæc
 dum Christus dicit: Ego sum ostium: prouerbiū *Ioan. 10.*
ab Apostolis nō intellectum, exponit. Et pleraq;
 eiusmodi, passim in sacris occurrunt literis.

Præterea Ioannes Euangelista, diligentissimus
 uerborū Christi & scriptor, & interpret, non mo-
 do eorum quæ in suo Euāgelio, sub aliquo tropo
 à Christo dicta commemorat, sensum explicat
 ipse, sed & eorū, quæ alij Euāgelistæ ante ipsum,
 sub tropis à Christo dicta scripserunt, sentētiam
 aperuit. Quale est illud: Soluite tēplum hoc, & *Ioan. 2.*
in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo
 Iudæi, quadraginta & sex annis ædificatum est
templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis il-
lud? ille autem dicebat de tēplo corporis sui. De

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Mat. 26. quo tamē Christi dicto, & Matthæus, & Marcus
Marc. 14. ante illum meminerūt, dum tempore passionis,
 testes falsum contra Christum testimonium, de
 templo soluendo dicerēt: nec quid Christus sen-
 sisset, explicuerant: id quod Ioannes surda aure
 non prætereundum existimauit, sed de quo tem-
Ioan. 3. plo Christus diceret, palam fecit omnibus: nēpe
Ioan. 7. de templo corporis sui. Quin etiā ubi Christus
 dixit, Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat: qui cre-
 dit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uētre
 eius fluent aquæ uiuæ. Ioānes, ne dubium rema-
 neret quid Christus sensisset, adiecit: Hoc autē
dicebat de spiritu, quem accepturi erāt creden-
tes in eum. Atque ideo, si Ioannes in illis uerbis:
Hoc est corpus meū, quod pro uobis datur: hic
est sanguis meus, qui pro uobis funditur: quæ
ab aliis Euāgelistis scripta comperit, subesse tro-
pum aliquē putasset, id plane explicuisset, quod
tamen nō fecit. Quandoquidem uerba Christi,
 non sub figura, sed germano sensu, nō modo ad
 interiorem hominem pascendum, sed etiam ad
Ioan. 6. exteriorem, prolata existimauit. Insuper cū Ca-
 pharnaitæ audientes manducandam Christi car-
 nem, & sanguinem eius bibendum, duritia ser-
 monis offensi ab eo recessissent, putātes eum de
 carne in frustra præcidenda, & de sanguine fun-
 dendo, sensisse. Ioannes sensum Christi, nō aliis
 uerbis, quā illius ipsius, explicuit, dicentis: Si
uideritis filium hominis ascendentem, ubi erat
 prius

prius? Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquã. Verba quæ ego locutus sum uobis, spiritus & uita sunt. Hoc est, quando uidebitis me ascendentem ubi eram prius, uos ipso conspectu testimonium perhibebitis me uiuere. Nam caro humana sola sine spiritu, ut uos intelligitis, nihil prodest, at uerba quæ ego locutus sum uobis, spiritus & uita sunt. Per quæ uerba, inquit Cyrillus, totum corpus suum, uiuifica spiritus uirtute plenum esse ostendit: non quòd caro in spiritũ mutata sit, sed quia summè cum eo coniũcta, totam uiuificandi uim hausit. Quod perinde est, ac si Christus dixisset: Ego & uita, & spiritus sum, & omnes me in esum recepturi, & uiuẽtem, & spirantem, intra se habituri sunt, ut sint illi mihi tẽplum, & ego in eis habitator, ac mihi capiti mẽbra mei corporis adhæreant, nec à me diuellantur unquã, nisi se sua sponte, à corpore meo præcidãt: nam eum qui ad me (inquit) uenit, nequam eiiciam foras. Quocirca nõ in figura, quæ nec uitã habet ipsa, nec ulli donat, sed in ueritate Christum esuri sunt, qui uiuificam eius carnem edẽt, quibus ob illum esum, uitã æternam dabit. Porro si illa uerba, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: hic est sanguis meus, qui pro uobis funditur, per tropos & allegorias fuissent dicta, iam Eucharistiæ sacramentum, penitus irritum esset, & proposita de eo doctrina, fundamento careret: nã super allegoriam nihil stabile fun-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Epist. 48. dari potest. Augustinus enim, in epistola ad Vincentium, inquit. Quis autem non impudentissime nitatur, aliquid in allegoria positum, pro se interpretari: nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustretur obscura? Cæterum manifesta eiusmodi testimonia, cõtra ueritatẽ corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, nulla unquã neque adducta sunt, nec adduci possunt. *1. Cor. II.* At Christus si Paulo credimus, usq; ad secũdum aduẽtum corpus suum edi, & sanguinem suum bibi à fidelibus sub sacramento uoluit, id quod fieri nequit, si à literali sensu uerborum illorum discedamus, & tropos, & allegorias sequamur.

Etenim quando tropis Christus est usus, aut euangelia ipsa admonent eum sub parabolis locutum, ut altius quiddam inquiramus quàm parabolæ uerba præferunt: aut uerborum præcedentium & sequentium circumstãtia declarabit, utrum tropi sint appositi, an uerba quæ dicuntur, germano suo sensu proferatur. Christus autem post agni paschalis esum, nouum pascha, nouumq; testamentum substituens, corpus suum non in solo spiritu, sed in corpore spirituali edi, & sanguinẽ suum, non in solo spiritu, sed etiã in sanguine spirituali bibi à nobis uoluit, sicut Euãgelia aperte docet: sicq; edendo & bibendo, memoriã mortis Christi, usq; ad secũdum aduentum eius frequẽtari debere, Pauli uerba manifeste indicat. Nã si solo spiritu edi & bibi, ac nõ corpore si-

re simul & sanguine spiritali à nobis uoluisset, potius dixisset porrigēs sacramentū, hic est spiritus meus, quàm, hoc est corpus meū: hic est spiritus meus, quàm, hic est sāguis meus. Atqui quia nihil omnino māducari potest, quod nō sit corporale: spiritus enim solus esibilis non est, nec corpus & sanguinē habet, sicut Christus in Euā- *Luc. 24.* gelio dixit: Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Christus ideo, qui uer- *Ioan. I.* bū caro factus est, aperte dixit: Hoc est corpus *Mat. 26.* meum, hic est sanguis meus: ut corpus eius spirituale à fidelibus sumi, & sanguis eius spiritalis bibi, in perpetuū suæ passionis, mortis, & resurrectionis monumētum, posset: ita quòd nec spiritus sine corpore, nec corpus sine spiritu sumeretur. Nam omnia quæ ad dispēsationem salutis nostræ attinent, ipse non in solo spiritu, sed in carne sua uerbo & spiritui unita, pro redemptione nostra peregit, ac præstitit. Alioqui si solo spiritu, ac non corpore, hæc perfecisse aduersarij contendunt, iam putidam Marcionis hæresim, qui phātasma carnis fuisse in Christo, & nō uerā carnem asseruit, resuscitāt. Quamobrem omnino fateri oportet, post uerba illa, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: hic est sanguis meus, qui pro uobis funditur, à ministro Ecclesiæ pronunciata: ibi esse Christi uerū re ipsa corpus spirituale, & uerum re ipsa sanguinem spiritualem, uirtute, & efficacia uerbi, ac spiritus

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Christi, summi & æterni sacerdotis.

Neque ex hoc sequetur, quòd minister, uel quiuis alius hominum, creare potest, uel cælum, uel terram, uel angelũ, uel hominem, Solem, Lunam, uel sydera, arborem, herbam, uel gramen, diem, uel noctẽ, lucem, uel tenebras. Nẽpe causa in promptu est, quòd nõ habemus Dei uerbum, quod nobis aliquid tale facere mandat: quamquam enim inuenimus hæc uerba in scriptura, *Gen. 1.* Fiat lux, fiat firmamentũ, fiant luminaria in firmamento, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã, &c. Quæ uerba declarãt, Deũ ipsum suo uerbo ea creasse & fecisse. At non legimus usquã in scriptura, dominũ Deum alicui homini dixisse, fac lucem, fac firmamẽtum, &c. Veruntamen de memoria passionis Christi frequentãda, eo modo quo fecit Christus, habemus plane præcipientia uerba, nempe hæc: *Luc. 22.* Hoc facite in mei commemorationem: id quod haud dubiè est faciendum: atque illis uerbis ipsis, & eo modo, memoria illa frequentanda, quo fecit Christus ipse, suis discipulis corpus suum, & sanguinem in cœna ministrans.

Nonnulli uolunt obiicientes dicere, quòd signum, siue monumẽtum alicuius rei, & res ipsa, non possunt esse eadem, sed semper sunt diuersa, sicut corona hederæ, pẽdens apud ostium tabernæ, indicãs uinum uenale, & uinum in taberna, diuersa sunt, ac non eadem: atque ideo contendunt,

dunt, neque in sacramento Eucharistiæ, signum ipsum speciei panis & uini, & rem ipsam, nempe corpus, & sanguinem Christi, quæ indicantur, posse eadem esse.

Hoc telum homines illiterati, & idioteꝝ ueritatis ignari, ineuitabile esse putant. Ceterum obiectio hæc, falsò innixa principio, nihil penitus habet momenti. Nam sicut signum, & res ipsa, aliquando possunt esse diuersa, ita sæpenumero, & in multis possunt eadem esse, sed respectu diuerso: ueluti exempli gratia. Panis in signum in fenestra pistoris prostant, & signum est ibi haberi panū copiam, & ipse panis prostant, esui est aptus. Similiter pānus, aut sericum, in mercatoris pergula ad indicādum expositum, & signum est ibi pannum, & sericum, in copia haberi: & pannus, & sericum ipsum pro signo positum, in quēuis usum sumi potest. Itidem multa alia innumera, per urbes, uel in fenestris, uel in pergulis exponuntur, ut per plateas transeuntes, ubi nam talia parabilia reperiantur, aspiciant. Quæ quamuis signa sint, quæ indicant ibi eiusmodi res haberi, sunt tamen res ipsæ eiusdem generis, cuius sunt cætera, quorum sunt signa, & in eundem usum sumi possunt.

Per hæc facile quiuis intelligere potest, in sacramento Eucharistiæ sacramēto, simul & signum, uel sacramentum esse posse, & naturale Christi corpus iam spirituale: tametsi nōnulli qui sibi scioli

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

uidetur, toto cælo errantes, ac somniis suis fidentes, inconsideratius asserant, omne signum, non sui ipsius, sed alterius rei signum esse: quod manifeste falsum esse conuincitur, tum in exemplis prædictis, tum innumeris similibus, inuestigati faciliè occurrentibus. Nam reuera sacramentum corporis & sanguinis domini, diuerso respectu, & signum est, & res signata: signum autem est, fruedæ in cælo futuræ æternæ beatitudinis, quãdo prorsus omni uelamine sublato, diuinitatem ipsam facie ad faciem aperte contuebimur. Res uerò ipsa est, nempe corpus Christi, & sanguis re ipsa fidelibus, in præsentí uita, sub sacramenti uelamẽto, in Eucharistia inuisibiliter præsentia: sicut Cyprianus aperte attestatur dicens: Panem angelorum sub sacramento māducamus in terris, eundem sine sacramẽto manifestius edemus in cælis, non ministerio corporali, sæpe repetitis actionibus ad eadẽ reuertentes, sed consummato sacerdotio nostro, erit & permanebit, perpetua & stabilis, implens & reficiens nos sufficientia, quam proferet palam absq; ullis integumentis, omnibus conspicabilis, summi præsentia sacerdotis. Et nisi nos id uerum esse fateamur, ut in Eucharistia, & signum & signatum, alio atque alio respectu, idem esse possit, plane negabimus aperta, & manifesta Christi uerba, dicentis, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: hic est sanguis meus, qui pro uobis funditur. id quod

summæ

1. Cor. 13.

Ser. de cœna Domini.

Mat. 26.

summæ foret infantiæ, atque hominis penitus infidelis, nullam Christi uerbis fidem, omnino habentis.

His Tigurini repugnantes, & fidem suã, edito pridem libello, profitentes, inquit: *Christi corpus in celo est, sedetq; post ascensionem, ad dexteram patris, quod (inquiunt) disertis uerbis in Euãgelio Dominus ait: Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum* Ioan. 16. *relinquo mundum, & uado ad patrem. Item: Posthac* Ioan. 17. *non ero in mundo, ipsi autem (discipuli scilicet) in mundo sunt: ego autem ad te uenio. Et ueritatẽ dico uobis, expedit uobis ut abeam. Nam si non abiero, consolator* Ioan. 16. *ille non ueniet. Si autem abiero, mittam illum ad uos. Cum itaque uerba hæc omnia, clara, ac dilucida sint, sed & corporalem corporis Christi in terris hisce præsentiam, simpliciter abnegent: non temere profecto nostra fidei commissos, absurdo illo de corporali corporis Christi presentia & eius fructu, dogmate, nequaquã onerandos esse censemus. Hæc Tigurini.*

Quid sibi non arrogat, impudens humana temeritas, imo uerò satanica peruersitas, quæ Christi Euangeliũ subuertere nõ erubescit? Vbi quæso usquam in Euãgelio dixit Dominus, posthac non ero in mundo? Verba ipsa non Christi sunt, sed addita ab hæreticis. Christus abiturus ad patrem, consolans discipulos ait: Exiui à patre, & ueni in mundum. Iterum relinquo mūdum, & uado ad patrem, & iam iam instans animi sui propositum, quasi rem iam factam indicans, subdit:

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Ioan. 17.
 Coruscans
 passis Inim
 do visibilis

Act. 1.

Act. 9.

Act. 22.

Mat. ult.

Mat. 18.

Mat. 28.

Iam non sum in mundo, ipsi autem in mundo sunt, cum tamen adhuc nō discessisset ab eis. At illa uerba: Posthac non ero in mūdo, impudentissime, & falsò conficta sunt, ut imponant simplicibus, nec archetypis Gręcis uerbis, nec Latinis cōgruentia. Porro Christus post tridui mortem resurgēs, per quadraginta dies, usq; ad ascensionem, cum discipulis conuersatus est. Nec non post ascensionē, in terris apparuit bis Paulo Apostolo: primum in uia, iterū eidem in tēplo Hierosolymis. Quocirca illa uerba, posthac non ero in mūdo, falsò & contra scripturas, adiecta sunt. Itaque hæc quæ adducta sunt, nec clara sunt, nec dilucida, sed falso adiecta, ut præsentiam Christi, terris abnegent. Imo uerò contrà, Christus Deus & homo, præsentiam suam post ascensionem terris promittit, usque ad cōsummationem seculi. Et alio in loco Christus ait discipulis: Vbicunque duo uel tres cōgregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Vbi tametsi de præsentia secūdam diuinitatem possit intelligi, non tamen negatur de præsentia corporali: quādo Christus nusquam in scripturis, sibi terris interdixerit, aut quasi in cælis ad dexteram patris residens, libertatem nō habeat, corporis sui præsentiam, ubi uolet, in terris exhibere: cum resurgens à mortuis Christus apparens discipulis testatus sit, datam sibi omnem potestatem in cælo & in terra. At in omni potestate, præcipuè continetur

netur potestas in terris ubique se ostēdendi cum uolet: neque enim corpus Christi ad dexterā patris sedens, cęlo uelut carcere clausum, aut coercitum est, ut terris amplius apparere, usq; ad secundum aduētum nequeat: quo quid magis insanum, aut impium dici possit, non uideo.

Tigurini alio in loco aiunt: *Caro illius semel in terris hisce profuit, ut salutem scilicet nostrā operaretur, nunc eiusdem in terris hisce, usus nullus est, nec etiā in terris hisce præsens est. In cęlis residet, & ibi plurimum utilitatis affert.* Hęc Tigurini. *ebrij q̄v̄m̄ meū crapāt*

Hic disputāt de carne Christi, ut de carne cuiusuis tantum hominis, & non filij Dei, cum tamē in Christo, tota diuinitatis plenitudo habitet corporaliter, ut inquit Paulus, & qui soluerit *Coloss. 2.* Christum, id est diuinitatem ab humanitate se iūxerit, sit Antichristus, ut Ioānes Apostolus te- *1. Ioan. 4.* statur. Sed nihil homines semel in Deū rebellantes, & maiestatem blasphemantes, deterrere potest, ne non præcipites eant in abyssum. Si Christi carnis in terris nullus est usus, nec in terris hisce præsens est, iam sacramentū carnis, & sanguinis Christi, antiquatum erit, id quod, sacramentariorū est scopus. Veruntamen in hoc my- *1. Cor. 11.* sterio, mortem domini annūciare in terris iubemur, donec ueniat, nec sola spiritali manducatione, mortem Domini annunciare possumus, quando spiritus manducari nequit, nec diuinitas Christi sola māducabilis sit, sed corporale sit

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

oportet, quod māduccetur. Itaque si caro Christi nō est in sacramēto, sed spiritus Christi, cur porrigēs sacramētum, dixit: Hoc est corpus meum, & non potius, hic est spiritus meus, uel hęc est diuinitas mea? Cæterum Christus bene gnarus, nihil edi posse, quod non sit corpus, dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum.

Ephes. 2.

Porro quia ipse ab æterno Dei filius, quod semel propter charitatē nimiam, qua nos dilexit, assumpsit, ut homo fieret, & corpore moriēs, sanguine suo nos redimeret, ne recordatio tā ingentis beneficij, ullo unquam tēpore antiquaretur, Christus, inquam, Deus & homo discessurus ex hoc mundo, immensi sui in nos amoris pignus, hoc est, corpus suum edendū, & sanguinē suum bibendum, inuisibiliter in sacramento carnis & sanguinis sui, ne uisio carnis & sanguinis, nos abhorrētes redderet, sub specie panis & uini, quę nostra consueta sunt nutrimenta, prębere nobis uoluit: idq; à cunctis fidelibus frequentari pręcepit, donec ueniat. Itaque præsens est Christus inuisibiliter in mysterio suo, tametsi corporis oculis inuisibilis, uel diabolo, qui mendax est, inuito, uel inuitis omnibus qui sunt ex parte illius: sicq; nobiscum præsens erit in Ecclesia, usque ad consummationem seculi, quantumuis lunam allatrent rabidi canes.

Ioan. 8.

Figurini addunt: Hęc omnia ipse Dominus loquutus est, & se ueritatem loqui testatus est: quis ergo illum

illum arguet mendacij? Hæc Tigurini.

Nemo sane Christianus, tātum nephas audebit. At uos infani, quos nihil pudet, quādo Christus non iam infans, sed triginta trium circiter annorum, & uerbum, & sapientia, & potestas patris, palam de porrecto sacramēto dixit: Hoc est corpus meum: uos, inquam, dicere nō piget: hoc nō est corpus eius, sed figura corporis eius: cum uerbum Dei, ut inquit Paulus, non sit in illo, est 2. Corin. I. & nō, sed est in illo fuit. Si figura corporis secundum uos erit, ueritas non est, qui nihil figuratū, rem ueram esse uultis, & omne signum, non sui ipsius, sed alterius rei signum esse dicitis, ac signū & signatū, diuersa semper esse contra ipsam ueritatem contenditis. Atque hoc pacto, uos Christum mendacij arguere nitimini. Cæterum frustra: quandoquidem nos supra mundo patefecimus, & signum & signatum, eadem sæpenu-mero, ac non diuersa esse posse.

Tigurini præterea, inquiunt, *Spiritus est qui Ioan. 6. uiuificat, caro non prodest quicquam: nō quòd per omnia inutilis sit, sed quòd comesa nihil fructus afferat: de sua enim carne ibi loquitur Dominus, quæ cum corporaliter māducata nihil proffit, & spiritus sit, qui uiuificat, multū certè admirāda est eorum temeritas qui aduersus tam clara, & expressa Dei uerba, docere audent, spiritualement corporis & sanguinis Christi manducationem, & potum, ad uitam nō sufficere, nisi corporaliter quoque Dominus māducetur. Hæc Tigurini.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Vbi Christus dixit: Spiritus est qui uiuificat, caro nō prodest quicquam. Cyrillus enarrat in-
quiēs: Non imperite omnino carnem uiuificam
esse negatis, nam si sola intelligitur, nihil prorsus
uiuificare potest, quippe quæ uiuificante indi-
geat. Quum uerò incarnationis mysterium, lau-
dabili cura scrutati fueritis, & habitantē in car-
ne cognoueritis: quamuis nihil penitus caro per
seipsam possit, uiuificam tamen esse factam cre-
detis: nisi etiam spiritum sanctum, non posse ui-
uificare contenditis. Nam quoniam cum uiuifi-
cante uerbo, caro coniuncta est, tota est effecta
uiuifica. Non enim ad corruptibilem suam na-
turam, iunctum Dei uerbum detraxit, sed ipsa
ad melioris uirtutem eleuata est. Quamuis ergo
natura carnis, ut caro est, uiuificare nequeat, fa-
cit tamē hoc, quia totam uerbi operationem su-
scepit. Corpus enim nō cuiusuis hominis, cuius
caro prodesse quicquā non potest, (nō enim Pe-
tri aut Pauli aut cæterorū) sed ipsius uitæ, & sal-
uatoris nostri Iesu Christi corpus, in quo diuini-
tatis plenitudo corporaliter habitat, hoc facere
potest. Nam si mel cum naturaliter dulce sit, ea
dulcia facit, quibus miscetur, nonne stultū erit,
uiuificam uerbi naturam putare, non dedisse ho-
mini in quo habitat, uiuificādi uirtutem? Quas
ob res, caro quidem cæterorum hominū quic-
quam uerè nō prodest, caro autem Christi, quia
in ipsa unigenitus Dei filius habitat, sola uiuifi-
care

care potest. Spiritū uerò seipsum appellat, quoniam Deus spiritus est, ut ait Paulus: Dominus spiritus est. *2. Corin. 3.* Nec ista dicimus quia spiritum sanctum, in propria persona subsistere nō putemus, sed quia sicut factus homo filium se hominis appellat, sic se à proprio spiritu, spiritum nominat. Non est enim alienus ab eo spiritus suus.

Et ubi Christus dixit: Verba quæ ego locutus sum uobis, spiritus & uita sunt: inquit Cyrillus, *Ioan. 6. Lib. 4. in Ioan. cap. 24.* totum corpus suum uiuifica spiritus uirtute, plenum esse ostendit. Spiritum enim hic ipsam carnem nūcupauit, non quia naturam carnis amiserit, & in spiritum mutata sit, sed quia summè cum eo coniuncta, totam uiuificandi uim hausit. Nec turbari propter hoc decet: nam qui Domino conglutinatur, unus cum eo spiritus est: quomodo igitur caro sua, una cum eo non appellabitur? Huiusmodi ergo est quod dicitur: Putatis me, inquit, dixisse uiuificum natura sui, terrestre hoc esse corpus? Ego uerò de spiritu & uita æterna locutus sum: non enim natura carnis, uiuificum reddit spiritū, sed uirtus spiritus, uiuificam carnē efficit, uerba ergo quæ uobis locutus sum, spiritus, id est spiritualia, & de spiritu & uita, id est de uiuifica, & naturali uita sunt. Sed quod diximus, id iterū repetere, non erit inutile. Natura carnis ipsa per se, uiuificare nō potest: quid enim maius natura deitatis haberet? Nec sola in Christo esse intelligitur, sed habet filium Dei sibi cō-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

iunctum, qui consubstantialiter uita est, quādo igitur uiuificam Christus ipsam appellat, nō ita illi, ut sibi, siue proprio spiritui uim uiuificandi attribuit. Nā propter seipsum spiritus uiuificat, ad cuius uirtutem per coniunctionem caro cōscendit: quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio, & firma fide, id suscepimus. Hæc Cyrillus.

At ubi inferunt quòd caro Christi comesa, nihil fructus afferat, & manducata nihil profit: Quis talia unquam audiuit? Si uita æterna fructus sit huius manducationis, sicut ait Christus apud Ioannem: Et panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Ac qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die: & Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo: Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse uiuet propter me: Præterea quia Christus utraq̃ue naturā diuinitatis, & humanitatis, perfectam, in unitate personæ habet, eius autem diuinitas ore non est esibilis, atque ideo quod māducatur, necesse est ut de humanitate, & toto Christo, Deo simul & homine, intelligatur, quomodo caro Christi comesa, nihil fructus affert? An uitæ æternæ fructus nihil est? An in Christo manere, & Christum manentem in se habere,

nihil

Ioan. 6.

nihil est? An semper uiuere propter Christum, sicut ipse uiuit propter patrē, nihil est? Quis Christianus tam stupidus, quis tam insanus unquam repertus est, ut hæc nō modo effari, sed uel mente secum agitare sit ausus? Consimili deliramento correpti quondam erant Messaliani hæretici, qui diuinum cibum nec prodesse, nec lædere dicebant, sicut Theodoretī historia narrat.

Quòd uerò corporis & sanguinis Christi māducatio, & potus, non spiritualis solum, sed corporalis quoque, ad uitam requiruntur, Hilariū audiamus, tubā latini sermonis, ut inquit Hieronymus. Hic nāque scribens contra Arianos, qui filium patri ὁμοούσιον, hoc est consubstātialem negabāt, & unitatem inter patrem & filium, per concordiam uoluntatis, non per unitatem substantiæ, asserebant, inter cætera argumenta quæ congerit, ut filius sit eiusdem cum patre substantiæ, in octauo libro de Trinitate, unū præcipue sumptum à corpore & sanguine Domini in Eucharistia affert, quod sequitur his uerbis.

Eos nunc qui inter patrem & filium uoluntatis ingerūt unitatem, interrogo, utrum ne per naturæ ueritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam uoluntatis? Si enim uerè uerbū caro factum est, & nos uerè uerbum carnem, cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimādus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem, sibi ho-

F

Lib. 9. de

Trinit.

allegatiō
de consue.
dist. 2. ad
in xpo patet

sunt hec ob uicinte
lligenda quoniam
hi Aug. Cur ait dia
sicut omnia) gallic
coltrano it. S. flati
et hec ordine quod
ubi de naturali in he
rentia nostri in xpo
loqui fit.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

mo natus assumpsit, & naturã carnis suæ, ad naturam æternitatis, sub sacramento nobis cõmunicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unũ sumus, quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter uel se in Christo, uel Christum sibi inesse: quia in Christo pater, & Christus in nobis, unũ in his esse nos faciunt. Si uerè igitur carnem corporis nostri, Christus assumpsit, & uerè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nósq; uerè sub mysterio, carnẽ corporis sui sumimus, & per hoc unũ erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis, quomodo uoluntatis unitas asseritur, cùm naturalis per sacramentũ proprietates, perfectæ sacramentum sit unitatis? Non est humano, aut seculi sensu, in Dei rebus loquendũ, neq; per uiolentiã atque impudentem prædicationem, cælestium dictorũ sanitati, alienæ atque impiæ intelligentiæ, extorquẽda peruersitas est. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tũc perfectę fidei officio fũgemur. De naturali enim in nobis Christi ueritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea uerè est esca, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinẽ meum, in me manet, & ego in eo. De ueritate carnis, & sanguinis, non relictus est ambigendi locus: nũc enim & ipsius Domini professione

Ioan. 6.

fione & fide nostra, uerè caro est & uerè sanguis est. Et hæc accepta atque hauſta, id efficiunt ut & nos in Christo, & Christus in nobis fit. An ne hoc ueritas non est? Contingat plane his uerum non esse, qui Christum Iesum uerum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum secum, hoc quod nos sumus, in Deo est. Quod autem in eo, per sacramētum cōmunicatæ carnis, & sanguinis simus, ipse testatur dicens: Et hic mundus iam me nō uidet, uos *Ioan. 14.* autem me uidebitis: quoniam ego uiuo, & uos uiuetis: quoniam ego in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Si uoluntatis tantum unitatem intelligi uellet, cur gradum quendam, atque ordinem, consummandę unitatis exposuit, nisi ut cum ille in patre per naturam diuinitatis esset, nos contrā in eo per corporalem eius natiuitatē, & ille rursus in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur? ac sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cū nobis in se manentibus, ipse maneret in patre, & in patre manens ipse maneret in nobis, & ita ad unitatem patris proficeremus, cum qui in eo naturaliter, secundum natiuitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quod autē in nobis naturalis hæc unitas sit, ipse ita testatus est: Qui edit carnem *Ioan. 6.* meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Nō enim quis in eo erit, nisi in quo

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

ipse fuerit, eius tantum in se assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfectæ autem huius unitatis sacramentum, superius iam docuerat dicens: Sicut me misit uiuēs pater, & ego uiuo per patrem, & qui manducat meam carnem & ipse uiuet per me. Viuit ergo per patrem, & quomodo per patrem uiuit, eodē modo nos per carnem eius uiuemus. Omnis enim cōparatio, ad intelligentiæ formam præsumitur, ut id de quo agitur, secundum propositum exemplum assequamur. Hæc uerò uitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus, manentem per carnē Christum habemus, uicturis nobis per eum ea conditione, qua uiuit ille per patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem, per eū uiuimus, id est, naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundū spiritum, in se patrē habeat, cum uiuat ipse per patrem? Hactenus Hilarius.

Animaduerte quemadmodum Hilarius, patrem in filio naturaliter esse, per comparationē probare uolens, sic id in summa molitur: Sicut per naturam humanitatis Christus in nobis est, & nos in Christo, eodem modo per diuinitatis naturā pater est in filio, & filius in patre. Quòd autem per naturam humanitatis, nos in Christo simus, & Christus in nobis, ex eo manifestat, quia Christus uerbum patris carnem corporis, ex Maria matre, & uirgine, sumpserit, atq; itidem nos uerbum carnem factum, cibo dominico sumimus

mimus: quo perspicuum fit, ut Christus in nobis per sacramentum carnis suæ, nobis in mysterio communicatæ, naturaliter sit, & nos in Christo, tanquam membra in capite nostro, ei adhærentes, qui pro nobis homo factus est, ut nos Deo patri filios adoptiuos, & sibi cōfratres conciliaret. Corporaliter enim filius, per benedictionē mysticam, nobis ut homo unitur, spiritualiter autē ut Deus, sui spiritus gratia, nostrū ad nouam uitam, & diuinæ naturæ participationem, spiritū redintegrans. Itaque nexus unionis nostræ ad Deum patrē, Christus est, nobis quidem ut homo, Deo autē patri ut Deus, naturaliter unitus. non enim erat possibile corruptioni subiectam hominis naturam, ad immortalitatem conscendere, nisi natura immortalis ad eam descēdisset, ac cōmunionem participationēq; sui, à mortalitatis terminis, ad suum bonū reformatos eleuaret.

Præterea quòd per sacramentum, naturaliter Christus in nobis sit, & nos in Christo, Hilarius, prius admonens nō esse humano, aut seculi sensu de diuinis rebus loquendum, confirmat ex uerbis Christi, dicētis: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus: qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinē, in me manet, & ego in eo. de ueritate enim, inquit, carnis & sanguinis, non relictus est ambigendi locus. Nā ipsius Domini professione & fide nostra, uerè caro est, & uerus sanguis. Et hæc accepta, atq; hau-

*perspicuum est
quod sequitur*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

ita id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit, id quod interrogando confirmat, dicens: An ne hoc ueritas non est? Contingat planè his uerum nō esse, qui Christum filium Dei negant. quasi diceret: Christiani omnes fidem habent uerbis Christi, & nemo nō uerbis eius credit, nisi qui negat Christum filiū Dei, cum quo uelut summè impio, nihil Christianis est commercij, quippe qui extra Christi gregē foris sit, & suæ impietati relinquendus.

Ioan. 6.

Quòd autem eodem modo quo filius est in nobis, pater sit in filio, Hilarius probat ex uerbis Euangelij: Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem, ita & qui edit me, & ipse uiuet propter me: uiuit ergo ipse per patrē eodem modo, quo nos per carnem eius uiuemus.

nota.

Nam omnis comparatio, ad intelligentiæ formam assumitur: uitæ etenim nostræ causa hæc est, quòd in nobis carnalibus, manentē per carnem Christum habemus, per quem ea conditione uiuemus, qua uiuit ille per patrem. Cum ergo Christum in nobis naturaliter esse, per sacramentum Hilarius conuicerit, concludit ex hoc, patrem in Christo naturaliter esse, dicens: Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum uiuimus, id est naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum, patrem in se habeat, cum uiuat ipse per patrem?

In tota autem hac disceptatione, loquendo de

natura

natura Christi, & nostra, de substantia Christi, & nostra, secundum humanitatem intelligit. Et dum dicit naturaliter Christum in nobis esse, intelligit substantialiter, ut concludat filium, qui uiuit per patrem, uiuere per eum naturaliter & substantialiter, sicut nos per Christum naturaliter & substantialiter uiuimus. Nam alioqui nisi per naturam Hilarius substantiam intelligeret, nihil probaret contra Arianos, qui filium per concordiam uoluntatis tantum, & non per substantiam, unum esse cum patre contendebant. Nam de substantia patris & filij, an eadem esset, tota erat Arianis, cum catholicis controuersia.

Illud etiam insuper certum est, Hilarium de ueritate naturæ, & substantiæ carnis Christi in Eucharistia, locutum esse, non de sola figura carnis Christi, aut nudo signo: alioqui si loquens de sola figura uoluisset probare unitatem substantiæ, nulla fuisset rerum consequentia, non magis quam si quis contenderet, quando edebatur agnus paschalis, ibi ideo fuisse substantiam Christi, quia ibi erat figura Christi. Aut quando Moyses in deserto, serpentem æneum in ligno suspendit, ut à populo aspiceretur, ibi fuisse substantiam Christi: quod sanè ridiculū esset asserere, quando quidem serpens ille sola erat figura Christi, pro redemptione nostra in cruce suspendendi. Itidem quoque si ego cuiusquam figuram in pariete depictam cernens, ei monstrando dicerem, Ecce ibi

*concludit
et hilarium
usq; ad unguem
de clarat.*

Exod. 12.

Num. 21.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

substantia tua : nonne ille merito me insanire diceret? Itaque ueritatem naturæ & substantiæ Christi esse in Eucharistia, Hilarius omnino asseuerat : ut Arianos de substantia patris & filij contententes, gladio spiritus, hoc est uerbo Dei, iugulans prosternat.

Itaque & Hilarius, & uetustissimi quique orthodoxi scripturæ enarratores, Christum & Deum, & hominem, in unitate personæ, secundum utramque naturam iam in æternum uiuentem, in sacramento corporis & sanguinis sui, inuisibiliter à nobis ad uitam, non modo secundum solum spiritum, sed etiam secundum corpus spirituale, & supernaturale, sumendum tradiderunt: sicut ipsi à

Ioan. 6.

Ioannis Euangelio didicerunt, sic docente: Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem, ita & qui ederit me, uiuet ipse quoque propter me. Igitur qui in sacramento spirituales manducationem, solam sufficere ad uitam æternam putant, contra Ioannis Euangelium, Christi institutionem

nem palam reiiciunt, qui carnem suam ore manducari, & sanguinem suum bibi instituit, ut uitã æternã assequamur, cùm diuinitas sola manducabilis non sit, ut fateatur etiam ipse Nestorius.

Tigurini quoque in Eucharistia, post uerba Christi, super creaturas panis & uini pronũciata, nihil mutatum asserentes, dicunt: *Cum Paulo Rom. 4.* quoque Apostolo Deum omne quod loquitur exequi posse, & quod pollicetur certo præstare docemus. Hinc uerò & illud cõcludimus, quòd quæ sequitur Dei actio uerba quæ præcedunt exponat, & declaret. Ipsum factum enim uerborũ finis & scopus est: unde cum illud non fit quod uerba significare uidentur, iam ex eo constat, alium uerborũ quæ dicta sunt sensum esse. Dominus dixit: *Fiat lux, & facta est lux. talis nimirum quæ Gen. 1.* & cerni & sentiri poterat. *Cæco idem dicebat, uisum Luc. 18.* recipe, & uisum recepit. *Mortuis quoque, Resurge ait, Mar. 5.* & mox resuscitati surrexerunt. *Sic cùm leproso dixisset, Mundus esto, & statim mundatus est. Mat. 8.* Peccatores quoque solatus ait, *Remissa sunt uobis peccata uestra, Mat. 9.* & statim ea sibi remissa esse senserũt. Et sic quidem sequens euentus, antecedentium uerborũ sensum declarauit. Cum itaq; Dominus in cæna dicat: *Hoc est corpus meũ, quod pro uobis traditur: hic est sanguis meus, qui pro uobis effunditur. Haud dubiè omne hoc reuera sic euenisset, ut naturale illud corpus, uerè & propriè*

sentire potuissent: siquidem symbola hæc corpus suum naturale, uerè & corporaliter esse uoluisset. Cum uerò

nihil horum eueniat, quod uerba secundum literam

*anæpore
læct uisibi
læctz
o bestie an
necessario
corp? glori
osuz corpo
ritatis mole tenetur, nõne clausur penetrat
Ut ab oculis uanæ cat vt luc. 24. c. cranuic*

lanuis nõne in uisibile signu efficitur

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

sonant, sed nec panis nec uini substantia mutetur, sequens hoc factum certo euincit, quod uerba hæc nequaquam iuxta literam, crasso sensu debeant intelligi. *Hactenus Tigurini.*

Hoc loco nimium crassos theologos hi se produnt, qui tam stupida scribunt, ignorantes planè quid intersit inter uisibilia miracula, quæ oculis cerni possunt, & inuisibilia, atque eo maiora miracula, quæ fide credenda sunt. Etenim quia miraculis inuisibilibus, quæ nullo sensu exteriori apprehendi queunt, fidem haberi difficilius apud homines uidetur, Christus illis fidem per miracula corporea, quæ palam cerni queunt conciliat, sicuti in paralytico fecit cui dixit: cõfide fili remittuntur tibi peccata tua. Et cum Iudæi intra se blasphemasse eum ideo putarent, quòd solus Deus peccata remittat: Christus, quæ duntaxat hominem arbitrabantur, ut se Deum esse probaret, fidemq; uerbis suis habendam monstraret, miraculo uisibili paralytici curans corpus, ut animam eius à peccatis uerbo esse sanatam agnoscerent, dixit illi: Tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ miratæ sunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Propterea enim Christus uisibilia miracula, in initio nascētis Ecclesiæ in terris fecit, atq; Apostoli & Discipuli post eum, quò fidem miraculis inuisibilibus, & spiritualibus cõciliarent. Nã
mira-

miracula uisibilia signa sunt infidelibus, non fidelibus: fideles uerò iam radicati in fide, signis ad credendum non egent. Itaque uisibilia miracula iam diu in Ecclesia desierunt, inuisibilia uero miracula, per fidem quotidie adhuc in Ecclesia fiunt, nec ulla unquam ætate fieri desinent. Quòd si quæ nullo sensu corporis percipiuntur, miracula non erunt, ea quæ spiritualia, & inuisibilia sunt, miracula omnium plane præcipua, nomen amittent.

Porro Augustinus, sermone decimo octauo de uerbis Domini, loquens de miraculis corporalibus, ait: Hæc ergo fecit Dominus, ut inuitaret ad fidem; hæc fides nunc feruet in Ecclesia, toto orbe diffusa: Et nunc maiores sanitates operatur, propter quas non est dedignatus tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore, sic & melior salus animi, quàm salus corporis, modo caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcū aperit oculos sermone Domini. Modo non resurgit mortale cadauer resurgit anima, quæ mortua iacebat in uiuo cadauere: Modo aures corporis surdæ non aperiuntur, sed quàm multi habent aures clausas cordis, quæ tamen uerbo Dei penetrante patefcunt, ut credant qui non credebant, & bene uiuant qui male uiebant, & obediant qui non obediebant: & dicimus ille credidit, ac miramur cum audimus de iis, quos aliquando duros noueramus. Cur er-

*nota cur Jam
miracula non
fiant, uisibili
signo.*

*mirifica augu-
sti uerba, et ser-
mona.*

efficacia uerborum

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

go nunc miraris credentem, innocentem, Deo feruentem, nisi quia conspicis uidentem, quem noueras cæcum, conspicis uiuentē, quem noueras mortuum, conspicis audiētem, quem noueras surdum? Nam uidete aliter mortuos, de quibus mortuis dicebat Dominus, cuidā ideo tardanti ne dominum sequeretur, quia sepelire patrē uolebat: Sinite (inquit) mortuos sepelire mortuos suos. Et postea addit: Hæc ergo Dominus faciens diuina, patiēs humana, admonet nos corporalibus miraculis, & patiētia corporali, ut credamus & sanemur, ad conspicienda illa inuisibilia, quæ carnis oculus nescit.

Mat. 8.

Luc. 9.

At obiiciunt: *Si corpus Christi in sacramento esset, ibi etiam manifeste appareret, & existere uideretur, sicut alia miracula à Christo facta in corporibus à lepra, uel à cecitate, uel à paralysi sanatis, uel à morte resuscitatis, statim conspicua erant omnibus.* Verūtamen talia obiecta diluere facile est: nam corpora illa siue sanata, siue à morte resuscitata, hominū tantum erant corpora, conspectui cuiusq; obiecta, nondum glorificata. Christi uerò corpus plenum gloria, gratia, & ueritate cū adhuc uerfaretur in terris, Dei & hominis erat corpus, atque post resurrectionem corpus erat glorificatum. Eiusmodi autem corpus non uidetur, nisi quando uideri uult, & ubi libet: sicut Christus ibat cū duobus discipulis cūtibus in Emaus, & peregrinus existimatus, ambulās cum eis usq; ad uesperam

sane dictum.

Luc. ult.

ram

ram mansit incognitus, donec in fractione panis agnitus, euanuit ex oculis eorum, quia amplius ab his uideri noluit. Præterea clausis ostiis Iesus *Ioan. 20.* intrans, stetit in medio discipulorum non uisus, antequã diceret eis: Pax uobis. Et Marię Magdalenę tanquã hortulanus apparuit, nõ prius agnitus quã eã nomine uocaret, dicens, Maria: qua uoce cognoscēs illum, appellat eum, Rabboni. Glorificata namque corpora similia angelis, hęc uidentur habere dotē, ut quando uelint uideantur, quando uideri nolint, mortalibus oculis conspicua non sint. Itaque qui arguit in sacramento corpus Christi non esse, quòd oculis non uideatur, resurrectionem Christi negare uidetur. Cæterũ Paulus Corinthios docet, feminari corpus in corruptione, surgere uerò in incorruptione, feminari in ignobilitate, surgere in gloria, feminari in infirmitate, resurgere autem in uirtute, feminari corpus animale, surgere uerò corpus spirituale. Nã oportet corruptibile hoc, induere incorruptionem, & mortale hoc, induere immortalitatem. Quocirca Christi corpus post resurrectionem, & spirituale, & glorificatũ est. Itaque si corpus Christi in sacramẽto, non uidetur mortalibus exterioris hominis oculis, sicut ambulauit in terris, & nihil exterius apparet nisi species panis, at ueritas corporis Christi, per fidẽ ibi uidetur ab interiori homine, quia Christus *Ioan. 14.* ueritas est, & fidelis in omnibus uerbis suis. Atq; *Psal. 144.*

Ibidem.

*pro pria uoce lo-
quutus est mag-
dalena christus.
ut patet. sed da-
bus discipulis eu-
tibus emacm ca-
llum, minime. se-
uoce per se uina.*

I. Cor. 15.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Matth. 3.
Ioan. 1.

quemadmodum spiritus sanctus per fidem præ-
sens esse creditur in omni baptismo, tametsi nõ
uideatur in columbæ specie, sicut uisus est in ba-
ptismo Christi, ita Christus in omni altari post
cõsecratam Eucharistiam, præsens adesse à fide-
libus creditur, sicut præsens fuit in ipsa prima
cœna, quando discipulis suis corporis & sangui-
nis sui sacramētum, manibus propriis porrexit.

ulchra simile

Mat. 22.

Porro quis hominum amicum inuitat ad conui-
uium, cui non ipse inuitans adesse uelit? Nimirũ
rex in Euangelio ad filij nuptias plurimos inui-
tans, post cõuiuorum discubitu, intrat ipse ut
discubentes uideat, & comperiens hominẽ ueste
nõ nuptiali uestitũ, iubet extra conuiuium trudi
in tenebras exteriores: id quod de Ecclesia in hac
uita intelligi necesse est. Nã in cœlestẽ Hierusa-
lem nihil coinquinatũ intrat, ut possit extrudi.

Apoc. 21.

Ad hæc. Quis Christianus ignorat, spiritum
sanctum in mysterio baptismi præsentẽ esse, &
baptifato peccata omnia remitti? Veruntamen
nullo sensu corporeo apprehendi potest, uel con-
donata esse peccata, uel spiritum sanctum siue
in columbæ specie, siue in sonitu uehementi, si-
ue in linguis igneis adesse.

Ioan. 6.

Cum multa Christus de carne sua edenda, &
sanguine suo bibendo, cum Capernaitis nõ cre-
dentibus differuisset, atque illi per infidelitatem
ab eo recessissent, dixit ad duodecim: Nunquid
& uos uultis abire? Respõdens autem Petrus pro
cæteris

ceteris ait: Domine ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes: Et nos credimus & cognouimus, quòd tu es Christus filius Dei uiui. Apostolis tunc fidem profitentibus, atque agnoscentibus mysterium uerbis eius inesse, quando Capernaitis dixit: Hoc uos offendit, quid igitur si uidebitis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam: Verba quæ ego locutus sum uobis, spiritus & uita sunt: quamuis ipsis Apostolis Christus mysterium eo tempore non aperuit, tamen ad patrem ex hoc mundo abiturus, pridie quàm pateretur, totum illud recòditum mysterium in ultima cœna ipsis iam fidem in eũ ante professis, patefecit: accipiens panem cùm gratias egisset, ac benedixisset, dicens: Accipite & manducate: hoc est corpus meum. & calicẽ similiter accipiens, & inquiring: Hic est sanguis meus, bibite ex hoc omnes: hoc facite in mei commemorationẽ. Quid est, hoc facite? nẽpe quod me uidetis facere. Ego uobis meis discipulis credentibus uera esse mea uerba, nec dubitatibus, panem à me sanctificatum esse corpus meum: nec non quod in poculo sanctificatum est, esse sanguinẽ meũ, in memoriam passionis meæ, corpus meũ edendum, & sanguinem meum bibendum, porrigo. Id quod Capernaitis, uerbis meis fidem nõ habentibus, sed per infidelitatem à me recedentibus nõ cõcessi. Et uos itidem hoc facite, omni-

*Mat. 26.**Mar. 14.**LUC. 22.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

bus credentibus, hoc mysterium sacrosanctum participate: nō credentibus autem mysteria tanta celate.

Justinus philo.

Proinde Ecclesia sancta ab Apostolis edocta, illud semper obseruauit, ut credētibus, & fidem Christi baptismo professis, corpus & sanguinē Domini impartiret, nondum autem fidem professis, non impartiret: id quod Iustinus philosophus & martyr, in secunda Apologia sua ad gentes, aperte testatur, inquiēs: Deinde profertur illi, qui fratribus præest, panis, & poculū aqua & uino mixtum, quæ cūm is acceperit, laudem & gloriam ei qui pater est omnium, per nomen filij, & spiritus sancti destinat, & gratiarum actionem, quòd ab illo dignus his sit habitus, prolixè facit: quo consummante preces, & Eucharistiā, totus qui præsens est populus approbat, dicens: Amen. Illud autem, amē, Hebraica lingua significat, fiat. Cum autem is qui præest, gratias egerit, & totus populus approbauerit, hi qui uocantur apud nos diaconi, distribuunt unicuiq; præfentiū, ut participent de pane, in quo gratiæ actæ sunt, & de uino & aqua: & iis qui non sunt præsentes, deferunt. Atque hoc alimentum uocatur apud nos Eucharistia: de quo nulli alij participare licitum est, nisi qui credit uera esse, quæ docētur à nobis, & qui lauacro in remissionem peccatorū, & in regenerationē lotus est, & sic uiuit sicut Christus tradidit. Neq; enim ut cōmunem panem,

panē, & cōmune poculum, hæc suscipimus. Sed quemadmodum per uerbum Dei incarnatus Iesus Christus seruator noster, & carnē, & sanguinem habuit: sic & uerbi sui oratione consecratum gratiarum actione alimentum, ex quo sanguis & caro nostra per transmutationē aluntur, ipsius incarnati Iesu & sanguinē, & carnem esse, edocti sumus. Apostoli enim in commentariis suis, quæ Euangelia uocantur, sic ipsis præcepisse Iesum tradiderunt, cum accepisset panem gratias actis dixisse: Hoc facite in mei cōmémorationem, hoc est corpus meum. & poculum similiter cum accepisset, & gratias egisset, dixisse: Hic est sanguis meus, & solis ipsis impartisse. Hæc Iustinus. *Luc. 22.*

Quocirca ueteres concionatores apud promiscuum populum, tam gentilium, quàm Christianorū, uerbū Dei seminantes, cum de Eucharistiæ mysterio uerba facerent, propter catechuminos nondum baptifatos, rem totā aperire nō audētes, ne more Capernaitarum à Christo deficerent, dicere sæpe solent: norunt fideles, norunt initiati. Qui modus loquendi admodū frequēs est apud ueteres, præcipue uerò apud Augustinum, & Chrysoftomum, quibus uerbis accēdebant etiam mētes auditorum ut cuperēt id edoceri, quod adhuc arcanum latens eos celabatur. Quòd si in mysterio nihil arcani lateret, sed tantum esset figura, uel significatio aliqua, nihil ue-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

taret catechuminis rem totam aperire, quando figure, & sola signa quibusuis enarrata, nō modo statim à mediocri ingenio præditis percipi, sed facile etiã à uetulis non omnino deliris possent.

nota cum sale
Itaque si Christus testamentum nouum non nisi in figura fecit, dum dixit: Hic est sanguis meus noui testamēti, id est, ut sacramentarij interpretātur, figura sanguinis mei, irritū erit Christi testamentum, quod ueritate subnixum non est, sed ueritatis figura. Porro figura ut ueritatis similitudinem quādam referre potest, ita ab ipsa ueritate tantum distat, quantum rei figura à re ipsa quę figuratur. Atque ea ratione non sanguis Christi, sed figura sanguinis eius, in redemptionem nostram erat fusa. At Petrus in epistola nos erudiēs, redemptos nos precioso sanguine quasi agni immaculati testatur. Faceat igitur fanaticus hic error, qui Christi dispensationem totam inanem facit, ueritatis lucem figurarum umbra obscurat, testamentum nouum totum irritum reddit, dum nō nisi allegoricum esse contendit. At quis unquam uel hominū, testamētum suum non apertissimis, & maxime significātibus uerbis condidit? Quamobrem metaphoricum, uel tropis refertum Christi testamētum asserere, est in totū abolere ab Ecclesia nouum testamētum, & Christum intestatum ex hoc mūdo discessisse fateri, contra omnium Prophetarum, Apostolorum, atque ipsorum Euangeliorum fidem, & contra

1. Pet. 2.

contra ipsam Ecclesiam Christi sponsam, à qua qui desciscit, uelut extra arcam Noë in diluuiio mundi fluctuans, perit. Augustinus enim de morietium uerbis nouissimis, proprio sensu intelligendis, in libro de unitate Ecclesiae, sic scribit. Quid hoc est rogo? cum uerba nouissima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit esse mentitum, & impius iudicatur haeres, qui forte illa contempserit. Quomodo ergo effugiemus iram Dei, si uel non credentes, uel contemnentes repulerimus uerba nouissima, & unici filij Dei, & Domini ac saluatoris, & ituri in caelum, & inde prospecturi, quis ea negligat, quis obseruet, & inde uerturi ut de omnibus iudicet? Habeo manifestissimam uocem pastoris mei commendantis mihi, & sine ullis ambagibus exprimentis Ecclesiam, mihi imputabo si ab eius grege, quod est ipsa Ecclesia, per uerba hominum seduci, atque aberrare uoluero: cum me praefertim admonuerit dicens: Quae sunt oues meae, uocem meam audiunt, & sequuntur me. Ecce uox eius clara, & aperta, & audita. Qui eum non sequitur, quomodo se ouem eius dicere audebit?

Vides Augustinum sentire, morietium hominum uerba nouissima syncerè accipienda, quibus si de mendacio arguantur, non datur amplius ad allegorias, aut tropos confugere, ut sese excusent aliter sensisse quam uerba sonant. Porro ab hominibus ex uita exeuntibus, quicquid sit prolatum,

Verba nouissima morienti memoriter tenenda sincero sensu

Ioan. 10.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

auditores syncere dictū, ut uerba proprie significant existimare solent. At Ecclesia Dei catholica quæ spiritu sancto regitur, per uniuersum orbē diffusa, nouissima illa Christi uerba: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: hic est sanguis meus, qui pro uobis funditur: syncere sicut proprio sensu uerba significant, non per tropos aut allegorias, dicta esse per omnes ætates à Christo passo, intellexit. A quorum uerborum recto sensu qui discedunt, quomodo oues Christi se audebunt dicere, qui pastoris sui uocem claram, & apertam, audire nequaquam uolunt?

Tigurini quoque quodam in loco, aiunt: *Hoc est corpus meum, quod pro uobis est datum: hic est sanguis meus, qui pro uobis funditur. Dicunt aduersarij hic preberi corpus Christi: idem & nos dicimus. Vbi ergo dissidium est? Dicunt aduersarij corpus Christi naturale & substantiale: nos sacramentale. hinc pugna, &c. Hæc Tigurini.*

Sacramentū & mysterium potest Christi corpus naturale, & substantiale, ab oculis nostris celare, corpus autē ipsum, tametsi mysterio celatum, naturale corpus manet. Quemadmodum uelatum corpus uelamine nō mutatur. Quòd si sacramentale corpus solum uisibile signum, & uelamen nudum appellant, quo celantur, quæ in mysterio sunt abscondita, non autem ea quæ in eo continentur, iam quæso, quis unquam sic loquitur, ut appellet mysterium, id quod nihil latens

tens habet reconditum? At si quis stolide pertinax, contendere uelit in mysterio nihil omnino cōtineri, is de eorum numero erit, de quibus dicit Paulus: Aberrantes conuersi sunt in uanilo- I. Tim. I. quium, uolentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus asseuerant. Quòd si quicquam in hoc mysterio continetur, id necesse est naturale, ac substantiale, spiritualeque sit corpus, non solum sacramentale, ut isti dicunt: Atqui si nihil est in mysterio abditum, iam mysterium nō erit. Itidem si nihil est in sacramento, iam sacramentum non erit.

O Ecolampadius in dialogo cum suo Nathanaele, quæ *διὰ τῆς ῥιπῆς ἔλκων*, quidlibet fateri, quidlibet negare stupidum cogit, inquit: *Vrgēt aliqui, panem Dominicū esse ipsissimum corpus Christi, ita ut quicumque siue pī, siue impij illo pascantur, non solum panem & sacramētum, sed etiam corporaliter corpus Christi manducant, ac in os stomachi transmittāt. Nos uerò contradicimus, & elementum nequaquam in talem honorem euectum asserimus, ut omnium dignissima creatura, in unam naturalēque illius substātiā se uniat, uel ita naturaliter in eo contineatur, ut per ipsum tanquam per medium canale, transfundatur gratia, quam ipse spiritus sanctus fidelibus cōcedit, & contactu uel gustu eius, etiā impij, ipsum uerum corpus Christi contingant, ac edant, gratiæ ue participes fiant.* Hac O Ecolampadius.

His qui dicunt corporaliter in sacramēto cor-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

pus Christi māducari, O Ecolampadius contradicit, & elemētum nequaquam in talem honorem euectū asserit, ut omnium dignissima creatura, in unam naturalēmq; illius substantiam se uniat, uel ita naturaliter in eo contineatur, ut per ipsum tanquam per medium canalem, spiritus sancti trāsfundatur gratia. Quid mirū si O Ecolāpadius Antichristus, Christo cōtradicat? Christus plenus gratia & ueritate, de corpore & sanguine suo, discipulis in sacramento porrecto, disertis uerbis dixit: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. O Ecolampadius gratiæ & ueritatis expers, nullū honorem uerba Christi elemento dedisse, & impudenter & mendaciter asserit, cum Christus in Euangelio dicat: Cælum & terra transibunt, uerba mea non transibunt. & per *Luc. 21.* *Psal. 88.* *Esa. 55.* Psalmistam: Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita: & per Esaiam nos admoneat, inquiens: Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt uix meæ à uix uestris, & cogitationes meæ à cogitationibus uestris. Et quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc ultra nō reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & geminare eam facit, & dat semen ferenti, & panem comedēti, sic erit uerbum meum, quod egredietur de ore meo. Nō reuertetur ad me uacuum, sed faciet quęcunque uolui, & prosperabitur in his ad quę misi illud. Quęfote, quisquis es, qui Christū es professus, qui Christum uerbum patris, ueritatem

tatem esse agnoscis, qui Christum Dei sapientiã non ignoras, qui Christum Dei uirtutem, & potentiã profiteris, an ne uerbum eius dicẽtis: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, uacuum ad eum reuersum est? an uiuus sermo Dei, & effi- *Heb. 4.*
cax, & penetrantior quouis gladio ancipiti, irritus ideo factus est, quòd O Ecolampadius suo animali sensu cõprehendere non potuit, quomo- *I. Cor. 2.*
do dignissima omnium creatura, nẽpe Christus ipse, uerba sua de porrecto sacramento intelligeret, nisi per tropum? Quasi uerò humanum ingenium, opera Dei uel minima cõprehendere possit. Id quod Salomon palàm negat inquiring: Quomodo ignoras quæ sit uia spiritus, & qua *Eccle. II.*
ratione compingantur ossa in uentre prægnãtis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. Et alibi idem ait: Intellexi quòd omnium operũ *Eccle. 8.*
Dei, nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub sole, & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniet. Etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Admonet quoque Paulus Apostolus, nõ plus sa- *Rom. 12.*
pere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut diuisit Deus mẽsuram fidei. Si O Ecolampadio propter suã infidelitatem, mensura fidei diuisa non est, ut his uerbis Christi fidem habeat, nisi quatenus animali suo sensu cõprehendit: an illius incredulitas fidem Christi euacuabit? absit, inquit Paulus: nã Deus *Rom. 3.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Psal. 50. uerax est, omnis autem homo mēdax, sicut scriptum est: ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris.

Theophilus Alexādrinus Episcopus in suo libro Paschali, à diuo Hieronymo in Latinam linguam translato, nonnullas Origenis impietates enumerans, blasphemiam summam esse censeat, quòd Origenes diceret spiritū sanctum nō operari in iis quæ inanima sunt, nec ad irrationabilia peruenire. Ipsa Theophili uerba in libro primo, sunt hæc: Ad aliam eius ueniamus impietatem, quam uelut de profundissimis tenebris eructans loquitur, & blasphemiarum suarum pessimā mundo reliquit memoriam. Dicit enim, spiritum sanctum nō operari ea quæ inanima sunt, nec ad irrationabilia peruenire. Quod asserens non recogitat aquas in baptisate mysticas, aduentu sancti spiritus consecrari, panémque Dominicum, quo saluatoris corpus ostenditur, & quem frangimus in sanctificationem nostri, & sacrum calicem, quæ in mensa Ecclesię collocantur, & utique inanima sunt, per inuocationē & aduentum sancti spiritus sanctificari. Si ad irrationabilia, & ad ea quæ absque anima sunt, sancti spiritus fortitudo nō peruenit, cur Dauid canit: *Psal. 138.* Quo abibo à spiritu tuo? Quod dicens ostendit sancto spiritu omnia contineri, & illius maiestate circundari, si omnia, in omnibus utique & irrationabilia & inanima sunt. Et alibi legimus:

mus: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. *Sap. I.*
 Quod nunquam scriptura memoraret, nisi irrationabilia quæque & inanima, illius numine complerentur.

Addit Theophilus mox in eodem libro, & aliam intolerandam Origenis blasphemiam, dicentis filium Dei, id est rationem & sermonem ac uirtutem eius, ad ea tantum quæ rationabilia sunt, peruenire. Theophili uerba sunt, hæc ipsa quæ sequuntur: Verum nõ est contentus hoc fine blasphemix, sed in morem lunaticorum, qui furorem suum illusione dentium, & spumantium saliuarum eiectione testantur, rursus eructat, & dicit, Filium Dei, id est rationem & sermonem ac uirtutem eius, ad ea tantum quæ rationabilia sunt, peruenire. Quod audiens, miror unde sumperit, aut quomodo legisse se nesciat, Omnia *Ioan. I.* per ipsum facta sunt. Ex quo approbatur, ad cuncta uerbi Dei fortitudinem peruenire: forsitan oblitus & illius historix, quando uirtute Christi *Ioan. II.* Lazarus suscitatus est. Cuius utique corpus, eo tẽpore quo de morte surgebat in uitã, ut anima, ita & ratione caruit. Ignorauit & illud, quòd de *Mat. I4.* quinque panibus, quinq; milia saturata sunt hominum, exceptis mulieribus & infantibus, & superfuerunt duodecim cophini fragmentorum: quod utiq; Christi fortitudo perfecit. Arbitror *Ibidem.* eum nec illius miraculi recordatum, quãdo irrationabiles maris fluctus, diuino calcãs pede, trã-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

quillitati nauigantiũ reddidit. Quæ Christi uirtus, & nõ alterius patrauit imperium. Quomodo ergo nõ toto corde, & animo, & corpore perhorrescit, dicēs, fortitudinem uerbi Dei ad irrationabiles creaturas non posse pertingere? Et qui iactat se in scientia scripturarum, & putat tanta legisse, quãta nullus hominum legerit, sciat scriptum, quòd ægrotantes in lectulis deferebãt, & ponebant in triuiis & plateis, ut Petri eos umbra contingeret, & sanaret, quod sacra Apostolorum acta testãtur, arguentia Origenis stultitiam, per quam id Apostolorum umbra fecisse conuincitur, quod ille filium Dei, uerbũ Dei, non potuisse testatur: Simili errore deceptus, & nesciēs quid loquatur, eorum qui nolunt Dei prouidentiam usque ad omnes creaturas, & mũdi inferiora descendere, sed tantum in cælorum regionibus cõmorari, ut scilicet id umbra fecerit Petri, quod implere saluatoris fortitudo nõ quiuerit. Hactenus Theophilus.

Hic manifeste cernis O Ecolampadium summa impudentia, eandem impietatem, eadẽmq; blasphemias eructantem, & contra Christum & cõtra spiritum sanctum, quas ante illum Origenes euomuit: nec quicquã eum pudet longa obliuione sepultas hæreses ab inferis euocare, quò sibi apud impios, cũ summo uerbi Dei & ipsius Christi contemptu, nomen grande faciat. An nõ per inuocationem, & aduentum spiritus sancti,
panis.

Act. 5.

panis & calix sanctificatur, & fit Eucharistia? An is nullus honor est, ex communi pane, & uino mixto, prodire corpus & sanguinẽ Domini? An *M. Mt. 26.* Christus quando accepit in manus panem, quãdo gratias egit, quando benedixit, quãdo fregit, quando porrexit discipulis dicẽs, hoc est corpus meum, nullum honorem elemento panis dedit? an laborem illum in uanũ sumpsit? an in cassum uerba ea fudit? aut uiuus sermo eius & efficax, tũc efficacia omni caruit, & nihil panis aut uini creaturis contulit? quis de Christo, non omnino demens & penitus *à Deo*, dicere auderet, eum in uanum uerba facere, & temere quodcunque in buccam uenerit effutire, ut solent homines temulenti? Cæterũ Apostolici uiri, statim à principio nascentis Ecclesiæ, ab Apostolis ipsis & spiritu sancto edocti, post consecrationem panis & uini aqua mixti, diuinis uerbis peractam, iam non amplius communem panem esse, aut commune poculum arbitrabantur, sed creaturas illas panis, & uini mixti, quæ alioqui extra usum sacrorum communia nobis sunt alimenta, ex quibus maxime nutrimur, postquam uerbis Dei consecratæ sunt, corpus & sanguinem Christi incarnati iam esse, Ecclesiam Dei edocuerunt, uti Iustinus philosophus & martyr adtestatur, cuius uerba supra retulimus.

Itidem Irenæus ita scribit: Quemadmodum *Cõtra her. lib. 4. cap. 34.* qui à terra est panis, percipiẽs uocationem Dei,

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Quibus uerbis Irenæus admonet, Eucharistiam post consecrationem, ex duabus rebus constare, terrena nempe & cælesti, hoc est, ex terrena specie panis, & cælesti diuinitate corporis & sanguinis Christi incarnati. Nam in Christo (ut inquit Paulus) inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Coloss. 2.

I. Cor. 10.

Et Remigius Remensis Archiepiscopus, is qui Gallorum uocatur Apostolus, qui ante Gregorium, primum eius nominis Episcopum Romanum, nonaginta annis præcessit, ut palam testatur temporum additiones ad Eusebium, in commentariis suis epistolæ primæ ad Corinthios, scribit: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Idcirco primum calicem nominauit, quia postea de pane plus erat disputaturus. Calix autem benedictionis dicitur, qui benedicitur à sacerdotibus in altari. Appellatur & ipse calix cōmunicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo, partemq; sumunt ex sanguine Domini, quæ continet in se. (Et panis quem frangimus) in altari (nonne participatio corporis Domini est?) utique primum cōsecratur & benedicitur à sacerdotibus & spiritu sancto, & deinde frāgitur,
cum

cum iam licet panis uideatur, in ueritate corpus Christi est: ex quo pane quicumque cōmunicāt, corpus Christi edunt (quoniā unus panis) subaudi Christi, (& unum corpus) Christi (multi sumus) qui comedimus illum panem. Caro, quam uerbum Dei patris assumpsit in utero uirginali, in unitate suæ personæ, & panis qui consecratur in Ecclesia, unū corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro, corpus Christi est, ita iste panis trāsit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed unum corpus. Diuinitatis enim plenitudo quæ fuit in illo, replet & istum panem, & ipsa diuinitas uerbi, quæ implet cælum & terram & omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod à multis sacerdotibus per uniuersum orbem sanctificatur, & facit unum corpus Christi esse. Huius Remigij librum unum atque alterum, uetusta scriptos manu, atq; illius inscriptos nomine, nos aliquando uidimus. Quem posteriores nōnulli eius ætatis, eisdem penè uerbis secuti esse uidentur. Iam si uerbi incarnati diuinitas replet illum panem, & facit esse corpus Christi, quod à multis sacerdotibus per uniuersum orbem sanctificatur, quomodo non plusquam infana, & penitus Antichristiana est Oecolampadij & sequacium impudens asseueratio, nēpe in nullum honorem euectum esse sacramentum, ut uel Christus in eo supra naturam contineatur, uel per illud tanquam per canalem transfundatur gratia.

*nota actoris
curiositatem
piam dico.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

spiritus sancti? Spiritum enim sanctum in consecratione Eucharistię illud operari, ut panis & vini mixti creaturę, nobis corpus & sanguis fiant Christi, tum Basilius, tum Chrysostronus in suis liturgiis attestantur.

Chrysostronus nãq; in liturgia sua sic precatur:

Ἐπι προσφέρω μὲν σοι τὴν λογικὴν ταύτην, καὶ ἀσάμακτον λαβείαν, καὶ παρακαλοῦμεν, καὶ δεόμεθα, καὶ ἱκετεύομεν, κατὰ πέμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἕδρ' τὰ πρεκείμενα δῶρα ταῦτα. Κύριε ὁ πανάγιον πνεῦμα ἐν τῇ τρίτῃ ὥρᾳ τοῖς ἀποστόλοις κατὰ πέμψας, ζῆτο ἀγαθὴ μὴ αἰτανέλης ἀφ' ἡμῶν. ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα ζῆ χριστοῦ σου· τὸ δὲ ἐν τῷ φηρείῳ τούτῳ, τίμιον αἷμα τοῦ χριστοῦ σου, μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ, ὡσεὶ γνέσθ' τοῖς μεταλαμβάνουσιν εἰς νῆψιν ψυχῆς, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς κοινωνίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰς βασιλείας ἑρανῶν πλήρωμα, εἰς παρρησίαν πλὴν πρὸς σέ, μὴ εἰς κείμενα ἢ εἰς κατὰ κείμενα.

Πραξ. 6.

Præterea offerimus tibi rationalem hunc & incruentum cultum, & inuocamus, & rogamus, & supplicamus: emitte spiritum tuum sanctum super nos, & super proposita dona hæc. Domine, qui hora tertia sanctissimum spiritum tuum in Apostolos misisti, hunc ὦ bone, ne auferas à nobis. Et fac panem quidem hunc, preciosum corpus Christi tui: in calice uerò hoc, preciosum sanguinem Christi tui, transmutans spiritu tuo sancto, ut fiat sumentibus in lotionem animarum, in remissionem peccatorum, in communionem sancti spiritus, in regni cælorum impletionem,

in

Act. 2.

in fiduciam apud te, non in iudicium, non in condemnationem.

Basilii quoque in sua liturgia similiter orat:
 σου δεόμεθα, καὶ σὲ παρακαλῶμεν ἅγιε ἅγιον, δόδοκίαι τῆς
 σῆς ἀγαθότητος, ἐλθεῖν τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἰδὲ
 τὰ προκέλευα δῶρα ταῦτα, καὶ δόλογιῆσαι αὐτὰ, καὶ ἀγιά-
 σαι, καὶ ἀναδεῖξαι τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα
 τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· τὸ δὲ ποτή-
 ριον τοῦτο, αὐτὸ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆ-
 ρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὸ ἐκχυθὲν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς,
 μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ.

Te rogamus, & te inuocamus sancte sancto-
 rum, beneplacito tuæ bonitatis, ut ueniat spiritus
 tuus sanctus in nos, & in proposita dona hæc, &
 benedicat hæc, & sanctificet, & ostendat panem
 hunc, ipsum preciosum corpus Domini, & Dei,
 & seruatoris nostri Iesu Christi: poculum uerò
 hoc, ipsum preciosum sanguinẽ Domini, & Dei,
 & seruatoris nostri Iesu Christi, effusum pro
 mundi uita, transmutans spiritu tuo sancto.

Quinetiã Beda, in sermone in Epiphania Do-
 mini, idem docet: Non solum autem lauit nos à
 peccatis nostris in sanguine suo, quando sangui-
 nem suum dedit in cruce pro nobis, uel quando
 unusquisque nostrum, mysterio sacrosanctæ pas-
 sionis illius, baptismo aquæ ablutus est, uerum
 etiã quotidie tollit peccata mundi. Lauat itaque
 nos à peccatis nostris quotidie in sanguine suo,
 cum eiusdem beatæ passionis ad altare memoria

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

replicatur, cùm panis & uini creatura, in sacramentum carnis & sanguinis eius, ineffabili spiritus sanctificatione transfertur, sicq; corpus & sanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur, & occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem.

Et Cyprianus quoq; in sermone de cœna Domini scribit: Panis iste quem discipulis Dominus porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas uidebatur, & latebat diuinitas, ita sacramêto uisibili, ineffabiliter diuina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad ueritatẽ cuius corpus sacramenta sunt, syncerior pateret accessus, usq; ad participationem spiritus.

Augustinus itidem, cui nihil nõ tribuunt sacramentarij, cum aliquid dicere uidetur, quod à se stare putant, in epistola ad Volusianum, bene admonet, inquit: Ipsa uirtus per inuiolatæ matris uirginea uiscera, mēbra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia, membra iuuenis introduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.

Epist. 3.

Joan. 20.

Rom. II.

Paulus quoque Apostolus incomprehensibilia iudicia Domini, & inuestigabiles uias eius
excla-

exclamans admiratur. At Oecolampadio, si superis placet, uia Domini uestigatae sunt omnes, & comprehensa iudicia etiam incomprehensibilia, uerbaq; Christi quantumuis clara, uel penitus neganda, uel ad tropum uel figuram potius torquenda sunt, quam illius animalis sensus non omnia comprehendat. An non hoc ceterum est quod de Rege Babylonis scribit Esaias, Ascendere eum *Esai. 14.* super altitudinem nubium, & similem se facere altissimo? Ceterum tremendum ualde est, quod Propheta subdit: Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. A quo Deus haud dubie liberabit omnes Christi fideles, de ueritate & omnipotentia uerbi eius nihil ambigentes. Porro nihil hunc tumultum excitat, nisi infidelitas & elata hominis superbia, si tamen hominis appellatione dignus est tam ignarus diuinæ potentiae, ut nihil Christum posse existimet, quod humana solertia non assequatur.

Vbi uerò negat Oecolampadius, impios contactu uel gustu ipsum uerum corpus Christi contingere ac edere, gratiae uel participes fieri, coniungit ea quae separanda sunt. Porro catholica fatetur Ecclesia, impios gratiae non fieri participes. Nam quae participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? At quòd contactu & gustu, etiam impij uerum Christi corpus contingant ac edant, ipse Paulus Apostolus testatur, qui de sacramento iam consecrato

*per doctre professe
oecolampadius a
fructu lux. & Ep*

2. Cor. 6.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

1. Cor. II.

inquit: Quicumque māducauerit panem, uel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Itaque indignè panem Domini comesum, & calicem Domini ebibitū esse oportet, ut reus quis constituatur corporis & sanguinis Domini: alioqui si corpus & sanguinem Domini indignè non comedit aut gustauit, quomodo reus erit esus, aut gustationis corporis Domini, quando reuera ipsum corpus Christi non contigit ac edit, si Oecolampadio credimus?

Chrysostronus in homilia de prodicione Iudæ inquit: Et Iudas erat præsens, ista Christo dicente: Iste est sanguis. Dic Iudas, quem triginta denariis uēdidisti, iste est sanguis, de quo ante cum Pharisæis pacta fecisti. O Christi misericordia, O Iudæ dementia, ille cum triginta denariis paciscebatur, ut uēderet: & Christus ei sanguinem quem uendidit, offerebat, ut haberet remissionē peccatorum, si tamen impius existere noluiſſet. Nam affuit Iudas & illius sacrificij communicationem meruit, & pedes eius quando aliorum discipulorum, lauit, ut excusationem suæ maliciæ non haberet: sed ille detestandus, suæ mentis insidias cogitabat.

Et Augustinus de baptismo cōtra Donatistas lib. 5. cap. 8. ait: Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se diabolo præbuit,

sic

*exageratio di
uine misericordie
die*

sic indignè quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem acceperit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis nihilominus erat, etiam illis quibus dicebat Apostolus: Qui māducat & bibit indignè, iudicium I. Cor. II. sibi manducat & bibit.

Et Oecolampadius quoq; ipse tractās quendam locum Bernardi de Cœna Domini, citatū à suo Nathanaele, ei respondens illud idem fateatur, indignos sumere corpus Domini. locus quē citat Nathanael is est: Potes ne æstimare, quale & quantum est hoc sanctum sanctorū, & sacramentum sacramentorum, amor amorum, dulcedo dulcedinum? Hæc sunt uerè festa pocula, hæc sunt gaudiorum fercula uitalia iustorū, hæc sunt spirituales deliciae iustorum & sanctorum, hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami celestis, hic efficitur una caro sponsa cum spōso, unus spiritus sancta anima cum Christo, experientia horū & similium spiritus est ac uita, amici sponsi, id est, boni episcopi, boni abbates & cæteri gustauerunt, & plenissime experti sunt quod nos dicimus, ideóq; ad mensam altaris frequentius accedunt, omni Eccle. 9. tempore candida facientes uestimēta sua, id est corpora, prout possunt melius, utpote Deū suū manti & ore contrectaturi, & colloquentem sibi ipsis audituri. Et postea: Tria in hoc altaris sa-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

mox quito
cramento attendere debes, speciem panis, ueritatem carnis, & uirtutem gratiæ spiritualis. Usque ad speciẽ panis pertingit sensus exterior: ad ueritatem carnis, fides interior: ad uirtutẽ gratiæ spiritualis, charitas superior. Speciẽ panis rodit aliquando forex paruissimus: ueritatẽ carnis, Christianus etiam recipit pessimus: uirtutẽ gratiæ spiritualis, nõ nisi prædestinatus recipit. Itẽ addit, Quod uidemus species est panis & uini, quod autẽ sub specie illa credimus, uerum corpus est & uerus sanguis Domini, quod pependit in cruce & de latere fluxit. Comestio itaque sacramentalis quantum ad uisibilem speciem, & quãtum ad corporis Christi ueritatem, cõuenit bonis ac malis communiter. Sed est alia comestio, sicut iam diximus, bonorum solummodo, quam per Dei gratiam ac per fidem ex dilectione operantem uitæ meritum efficit, & affectus mētium in cordibus percipientium uel ministrantium, intercedente spirituali & subtiliore quadam unione capitis & membrorũ. Obserua, nonne & hæc clara sunt & perspicua, Deũ suũ manu & ore cõtractaturi & colloquentẽ sibi audituri? Et deinde ueritatẽ carnis contineri dicit in sacramento altaris, ad quam fides interior pertingit. Aut uidentur hæc tibi adhuc ambigua? Oeco. Non legeram illa apud Bernardum, sed cõtra Adelhardum, illam sententiam aduersariorum non asserit. Super Cãtica autẽ satis docet, quid sit audi-

re Deum & habere collocutorem, addo & oscula & amplexus mysticos, unde & uerba ista quæ citas intelligo. Cæterum quòd uerum corpus & sanguinẽ ponit in mysterio, sciui pridem, & ipse eodem sensu nihil dubito quo ille locutus est. Nam qui credit etiam fide mortua, Christum filium Dei & Mariæ, pro nostra recõciliatione, & uiuificatione mortuũ, & testatur hoc sacramento se id credere, illi utique uerum corpus Christi est in sacramento altaris. Nam & ipse subleuat sensus, tametsi gratiam & uirtutem nõ assequatur. Ad hæc, esto humilior sit is quàm ut capiat, Ecclesia tamen corpus Christi uerum agnoscit, propter quod ille nequaquam impunis erit. Etenim sic sensisse Bernardum sentio. Excellebat enim exactiore iudicio omnes suæ tẽpestatis uiros. Haftenus Oecolampadius.

En tibi ab ipso hoste ueritatis testimonium ueritatis, quòd indignè & fide mortua credens filium Dei pro nobis mortuum, uerum corpus Christi recipit in sacramẽto, tametsi gratiam & uirtutem non assequatur. Maluit enim id fateri quàm à Bernardo, tam excellẽti uiro, uideri dissentire. Sic Deus mendaces nonnunquã immemores reddit, ne meminerint quæ pridem dixerant, ut uincat cum iudicatur. *Psal. 50.*

Corpus uerò Domini à malis contingi, & intra fauces recipi, Cyprianus sermone 5 de lapsis manifestè indicat, narrans de paruula sacrificiis

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

gentilium inquinata. Ait enim: Præfente ac teste me ipfo, accipite quid euenerit. Parentes forte fugientes dum trepidi minus cōfulunt, sub nutricis alimento, paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratus: illi ei apud idolum quò populus confluebat, quòd carnem necdum poffet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipfum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiã postmodum mater: fed facinus puella commiffum tam loqui & indicare nõ potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoracione igitur obreptum eft, ut sacrificãtibus nobis, eam fecum mater inferret. Sed enim puella mixta cū sanctis, precis noftræ & orationis impatiēs, nūc ploratu concuti, nunc mentis æftu fluctuabunda iactari, uelut tortore cogente, quibus poterat iudiciis cōfcientiam facti, in fimplicibus adhuc annis, rudis anima fatebatur. Vbi uerò folennibus adimpletis, calicem diaconus offerre præfentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem fuam paruula, inftinctu diuinæ maiestatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recufare. Perftitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc fequitur fingultus & uomitus, in corpore atque ore uiolato Euchariftia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis uifceribus erupit, tanta
eft

est potestas Domini, tanta maiestas. Secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad loquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. Narrat quoque simile quiddam de adulta, subdens:

At uerò ea quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus constituta, sacrificantibus latenter obrepfit, non cibum sed gladium sibi sumens, & uelut quædã uenena lethalia intra fauces & pectus admittens, angere & anima exæstuante cõcludi postmodum cœpit, & pressuram non iam persecutionis sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit: impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiaæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. Hæc Cyprianus.

Enim uero qui dignè edit carnem Christi, & bibit eius sanguinem, manet in Christo, & Christus in eo. Cæterum qui indignè corpus Domini & sanguinem intra fauces recipere audet, ad iudiciũ sibi illud sumit: in os enim maligni intrat ut iudicet, sed non ut ibi maneat. Ioan. 6.
I. Cor. II.

Porro in Eucharistia, nos ueritatem corporis & sanguinis Christi sumere, manifestum est ex Nicæna Synodo, cuius ipsa uerba sequuntur:

Ἐπὶ τῆς θείας βραδείης πάλιν κἀνταῦθα, μὴ τῷ περικείμενῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχμεν, ἀλλ' ὑψώσαντες ἡμεῶν τὴν διαίτησιν, πίσει νοήσωμεν ὑπὲρ τῆς ἱερῆς ἐκείνης βραδεί-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

ζης, τὸν ἄμνον τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα πλὴν ἁμαρτίας τοῦ κόσμου,
ἀθύτως ὑπὸ τῆν ἱερέων θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα,
καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμεῖς, πισθύνει ταῦτα εἶναι
τὰ τῆς ἡμετέρας ἀϊασάσεως σύμβολα. διὰ τοῦτο γὰρ οὔτε πολὺ
λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γινώμεν ὅτι οὐκ εἰς πληροσμονὴν,
ἀλλ' εἰς ἀγιασμόν.

Iterum etiam hic in diuina mensa, ne humili-
ter intēti simus ad propositum panem, & pocu-
lum, sed attollentes mentem, fide intelligamus
situm in sacra illa mensa, agnum illum Dei, tol-
lentem peccata mundi, incruentē à sacerdotibus
immolatum, & preciosum ipsius corpus & san-
guinem nos uerè sumentes, credere hæc esse no-
stræ resurrectionis symbola: propter hoc enim
neq; multum accipimus, sed parum, ut sciamus
quòd non satietati, sed sanctimonix sumimus.

At Oecolampadius postquam in Eucharistia
à catholicæ Ecclesiæ sententia desciuit, cernens
inter cætera ueritatis propugnacula, præcipuè
concilium Nicenum, uniuersis sacramentario-
rum machinis fortiter obstare, cùm dicit in sacra
illa mensa iacere agnum illum Dei tollentē pec-
cata mundi, incruentē à sacerdotibus immolatū,
& nos preciosum ipsius corpus & sanguinē ue-
rè sumere: quæ uerba manifestè uiuificum & in-
cruentum ecclesiæ sacrificium in Eucharistia cō-
firmant, fretus quòd Græcæ linguæ peritus esset,
se facile posse simplicibus subdola interpretatio-
ne mentis aciem perstringere, atque à uero sensu

in sua

in sua deliramenta abducere, sic uerba illa Græca ἀσύντως ἀπὸ τῆς ἱερῆως συνόμουον, Latinè uertit, qui non uictimarum more à sacerdotibus sacrificatur. Qua uersione de particula illa priuatiua ἀ in aduerbio ἀσύντως quod incruentè, hoc est absq; mactatione, absque cruore significat, negationē faciens atque ad sacrificium referens: id quod Concilium affirmat, mira uasfricia negare moliatur, quasi nullum sit sacrificium in Eucharistia, cum tamē Concilium apertè testetur post semel in cruce peractam unica oblatione cruenta æternam redemptionem, nunc usque ad secundum aduentū sacrificium uiuificum noui testamēti, in Eucharistia incruentum superesse: in qua præsens adest ipse Christus, iā non amplius moriēs, *Rom. 6.* nostram gratiarum actionem patri offerēs nōsque sua membra agnoscens. Quod sane sacrificium frequentātes, filij Dei & Christi coheredes *Rom. 8.* efficimur, & capiti nostro Christo cōiungimur.

Hic Oecolampadius multa uerba in uanum effutit, contendens omnia constare fide in Christum passum, nō fide qua humiliter sentimus in pane corpus Christi latēs, sic enim loquitur. At Concilium cōtra manifeste admonet, ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, quæ sensibus obiecta sunt, sed fide intelligamus positum in sacra illa mensa agnum Dei tollentem peccata mūdi, à sacerdotibus absque mactatione immolatū, & preciosum ipsius cor-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

pus nos uerè sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Quomodo enim nõ resurget corpus hoc nostrum, quod uita partum è mundo exiens, uitam secum effert, quam nimirum uitam, ipsum scilicet corpus & sanguinem Christi positi in sacra mensa, & tollentis peccata mundi, in sacramento uerè sumimus? Nam Christum passum credunt etiam qui sacramentum nõ recipiunt: quid opus est enim sacramento, si fides in Christum passum sufficit, & nihil in sacramento latens est? Itaq; spiritualis sola manducatio sine corporali, spiritum iuuare potest: at nostrũ hoc terrestre corpus, & sua corporali manducatione & simul spirituali alendum est, ut in uitam resurgat, idque cõcilium apertissime docet, quantumcunque hic demens erro deliret.

Quòd Christus in Eucharistia
sit adorandus.

Porro qui corpus Christi in Eucharistia non adorandum censent, infideles sese esse orbi manifestat, Christi uerbis fidem non habentes, quòd carnalibus eorum oculis nihil nisi panis & uinũ mixtum uideatur: Aut enim Christum dicentẽ, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, credunt nõ ueracem in uerbo suo, sed dissimulatorem, quòd corporis sensibus tantum mysterium non capiant, cum tamen Deus sit uerax, omnis autem homo mendax: Aut omnipotẽtiam uerbi eius, & uirtutem & efficaciam spiritus sancti
penitus

penitus negāt, tanquā non possit præstare quod dixit, & efficere ut quod nobis uidetur panis aut uinum mixtū, reuera sit corpus & sanguis Christi: atque ideo in blasphemias intolerandas erūpunt, asserētes adorationem illam idololatriam apertā esse, & corpus Christi in Eucharistia, merum idolum: id quod auditu intolerādum Christianæ aures ferre recusant.

Quādo populus Israel in deserto per columnæ nubis descensum, intellexerat gloriam Dei fuisse præsentem, unusquisque stans in ostio tabernaculi sui, respiciēs ad tabernaculum adorabat. Scriptū est enim in Exodo: Cum egredere- *Exod. 33.*
tur Moyses ad tabernaculum, surgebat uniuersa plebs, & stabat unusquisque in ostio papilionis sui, & respiciebant tergum Moyfi donec ingrederetur tentorium. Ingresso autē illo tabernaculum fœderis, descēdebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebatúrque cum Moyse cernentibus uniuersis, quòd columna nubis staret ad ostium tabernaculi, stabántque ipsi & adorabāt per fores tabernaculorum suorum. Itaque admoniti per nubem gloriam Dei adesse, quam aliter quàm per nubem uidere non poterāt, adorabāt.

Itidem in libro Iosue ubi Iosue in cāpo Hiericho uidit hominem stātem cōtra se euāginatum habentē gladium, pergēs ad eum quisnam esset interrogauit, inquiēs, Noster es an aduersariorū? Qui respōdit, nequaquā, sed sum princeps exer- *Iosue. 5.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

citus Domini, & nunc uenio . Cecidit Iosue pronus in terrā, & adorās ait : Quid Dominus meus loquitur ad seruū suum? Solute, inquit, calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, sanctus est. fecitque Iosue ut sibi fuerat imperatum. Hunc locum Eusebius & Græci omnes interpretes, intelligunt de filio Dei, quem in specie hominis Iosue adorabat, quamuis Christus non nisi post multa secula incarnatus fuerit.

Ios. 5.

Γεν. 14.

Εξο. 17.

1η 5. ε.

Eusebius de demonstratione euangelica libro 5 cap. 19. de Iesu Naue scribit: τῷ μὲν οὖν Ἀβραάμ παρὰ τῆς θρῦς φανείς ὡς ἀνθρώπου εἶδει, γαλιωῶ καὶ εἰρωαίῳ χιματίῳ ἑαυτὸν ἑσθὲ δείκνυσι, τὴν σωτήριον εἰς ἀνθρώπους αὐτῷ παρεσίαν ἕξ ἐκείνου προσημαζόμενος. τῷ δὲ Ἰακώβ ὡς ἀσκητῆ, καὶ ἀγωνιστῆ, παλαίῳ πρὸς ἐχθρὸς καὶ ἀγωνίζεσθαι μέλοντι, οἷα ἀνθρώπος. Μωσῆ δὲ καὶ δὲ λαῶ ὡς εἶδει νεφέλης καὶ πυρὸς καθηγείτω, φοβερόν ὄμα καὶ ἐπεσημασμένον παρέχων ἑαυτὸν. ὡθεὶ δὲ ὁ τοῦ Μωσαίου διάδοχος Ἰησοῦς, πολεμίοις ἔμελλε παρατάττεσθαι, τοῖς τὸ πρὶν Γαλασίτων γῆς οἰκήτοσι, ἀλλοφύλοις ἔθνεσι καὶ ἀσεβεσάτοις, εἰκώτως μετὰ ῥομφαίας ἐσθασμένης, καὶ κατὰ τῆς πολεμίων ἠκονημένης, ἑσθὲ φαίνεται, μονονουχί διὰ τῆς ὄψεως ἀποδεικνύς, ὅτι δὴ αὐτὸς ἀοράτῳ ῥομφαία, ἐν δέῳ δυνάμει, τὸς ἀσεβεῖς μετέναι ἔμελλε, τοῖς οἰκείοις συστρατεύόμενος, καὶ σικωνιζόμενος. διὸ κατὰ καιρὸν καὶ ἀρχιστρατηγὸν κυρίου ἑαυτὸν ἀνελθόντα.

Abrahæ apud quercum apparens in hominis specie, tranquillo & pacifico habitu, seipsum demonstrat, salutarem ipsius ad homines aduentum ex eo prænuncians: Iacob uerò tanquam exerci-

tato

tato & certatori, qui luctaturus cum inimicis & concertaturus erat, tanquam homo: Moyfi uerò & populo in specie nubis & ignis ductor erat, terribilē simul ac obumbratū exhibens seipsum. Quoniam autē Moyfis successor Iesus, cum inimicis in acie congressurus erat, nempe iis qui prius Palestinæ inhabitatores fuerant, externis gentibus & impiissimis, merito cum gladio euaginato & contra inimicos exacuto ostensus est, propemodū ex ipso conspectu manifestās, quòd ipse inuisibili gladio, diuina potētia impios aggressurus erat, unā cum suis propriis cōmilitans atque concertans: quocirca opportune & exercitus Domini ductorem seipsum appellauit.

Et Ambrosius Psal. 39: Christus expectatus est, & in Iesu Naue, & certe uenit, qui & potestatem suā & nomen accepit, ut & populū in terrā promissionis induceret, & uerè Iesu nomine uocaretur. Siccauit fluenta, cōuertit amnem in suum *Ios. 3.* fontē, solem statuit, donec consummaret in uir- *Ios. 10.* tute uictoriam, sed adhuc figura erat illa & non ueritas. Denique uerus ei dux militiē cælestis ef- *Ios. 5.* fulsit, & adorauit eum Iesus Naue, quamuis nō- dum in corpore uerus astiterat, sed adhuc uenerat in figura.

Scribitur quoq; in Genesi quomodo Domi- *Gen. 18.* nus apparuit Abrahamæ in conualle Mābre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei. Cūque eleuasset oculos, apparuerāt ei tres uiri.

stantes prope eum, quos cum uidisset, cucurrit in occursum eorū de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terra, & dixit: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes uestri, & requiescite sub arbore, ponámque buccellam panis, & cōfortetur cor uestrum, postea transibitis, idcirco enim declinastis ad seruum uestrū. Qui dixerunt, fac ut locutus es. Quem locū Eusebius & alij Græci, exponunt de filio Dei nondum incarnato, comitato tunc duobus angelis, qui postea missi fuerunt ad incendendam Sodomam.

Eusebius enim de demonstratione Euangelica libro 5 in cap. 8. ubi tractat quemadmodū Dominus in humana forma & habitu apparuit Abrahæ apud quercum Mambre in meridie, ait: Ἄλλ' ἔσθ' ἄγγελος ὁ περὶ φανεῖς ἀνθρώπουται, κρείττων δέ τις ἀγγέλων θεός καὶ κύριος πρὸς τῆ ἀναγεγραμμένη ὄρου μετὰ τῆν δυοῖν ἀγγέλων, ἐν ἀνθρώπου σχήματι ὄραθίς. πάλιν γὰρ ἐκεῖ τὸν ἑαυτῶν πάντων θεὸν ἠγνῆτον διὰ τοῦτο δηλοῦσαι. μεταβάλλει γὰρ φάναι τὸ θεῖον, καὶ σχηματίζει εἰς ἀνθρώπου εἶδος καὶ μορφῶν, ἕκ διαγίης. λέγεται δὲ αὐτὸν εἶναι τὸν τῶ θεῶ λόγον, τὸν διὰ τῆν πρὸς θεὸν τε θεολογημένον ὁμολογεῖν, ὃ θεὸν εἶσέτι καὶ ναῦ παρὰ τοῖς πλησιοχώροις, ὡς αὐθίος ὁ τόπος, εἰς τιμὴν τῆν αὐτόθι τῶ Ἀβραάμ ἑαυτῶ φανέντων θεοσκύεται, καὶ θεορεῖται γὰρ εἰς ἄλλο διαμείβει ἢ τὸν ἑβραίων. οἱ γὰρ ἔσθ' Ἀβραάμ ἑαυτῶ ξενώθεις, ἑαυτῶ γραφῆς ἀνακαίμενοι δύο μὲν ἑκατέρωθεν, μέσος δὲ ὁ κρείττων ὑπερέχων τῆ τιμῆ, εἶη δ' αὐθίος δηλωμένος ἡμῖν κύριος αὐτὸς ὁ ἡμέτερος σωτῆρ, ὃν καὶ οἱ ἀγῶτες σέβασι, τὰ θεῖα λόγια πιστεύμενοι,

ἄνθρωποι. οὗτος δὲ αὐτὸς Ἰζ ἐκείναι τὰ τῆς Ἀσραβείας ἀπέρισματτα, εἰς
 ἀνθρώπου καταβαλλόμενος, ἀνθρώπειον ἕποδὸς εἶδος τε καὶ
 σχῆμα, τῷ θεοφιλεῖ πεπαιτοει Ἀβραάμ ὅστις εἶπεν αὐτὸν Ἰζέφνε,
 καὶ πλὴν τῶ πατρὸς αὐτοῦ παρεδίδου γώμω.

At neque angelus is qui apparuit designatus est, sed melior quispiā angelo Deus ipse, & Dominus apud proditā literis quercum cum duobus angelis in hominis habitu conspectus est. Rursus uerò neq; Deum qui est super omnia, putādum est per hos manifestatum esse. Nam Deū dicere mutatum, & in hominis speciem & formam conuersum, non est pietati consonum. Superest igitur ipsum Dei uerbum eum fateri, id quod per antiquiores diuulgatum est: unde etiā usque nunc apud uicinas gentes, tanquam diuinus locus in honorem eorum qui Abrahæ illic apparuerunt, colitur & conspicitur usque adhuc manens terebinthus. Qui enim ab Abrahā hospitiō recepti sunt, in pictura cernuntur recumbentes, duo quidem utrinq;, medius autem præstantior præcellens honore. Posset etiā esse qui ostensus est, ipse Dominus noster seruator, quem ignorantes uicini colunt, eloquiis diuinis fidem habentes. Ipse igitur ille ab illo tempore pietatis femina in homines ferens, humanā indutus speciē & habitum, Dei amatori Abrahæ, quis nam esset seipsum ostendit, & patris sui prodidit consiliū.

Et Ambrosius de Abraham patriarcha libro. i. cap. 5. Tres uidet, & unum Deum appellat, ipsius *Gen. 18.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

folius se seruū fatetur: deinde cōuersus ad duos, quos ministros arbitrabatur, etiam ipsis deferre gestit obsequium, iam non iure debito seruitutis astrictus, sed blando sedulitatis nomine usūque famulatus. Et cap. 6: Quid autem sibi uult, quòd ipsi qui ad Abrahā simul cum Domino uenerāt, Sodomam petierunt uiri, nisi ut aceruaretur crimen eorum, si quos iustus honorauerat, his maiore sacrilegio, impij uim conarentur inferre? Nam quòd uiros dixit, euidēs est ratio, quia speciem præferebant uirorum.

Iam uerò postquam nos uerbo Christi certiores facti sumus, ipsum præsentem esse in corporis & sanguinis sui sacramento, quod nobis in memoriam passionis suæ usque in aduētum secundum reliquit frequētandum, maior à nobis fides Christo adhibenda est in hoc mysterio, ut adoremus Christum præsentē, quàm uel Abraham, uel Iosue habuit, qui illum uiderunt dumtaxat sub futuræ suæ humanitatis figura: maiórque quàm habebāt filij Israel, qui Deum adorabant in nube. Sed ineruditi isti, quātumuis sibi Salomones uideantur, Christi uerbis fidē nō habentes, omnino sunt infideles, quos uerba Christi in cœna tam apertè conuincunt.

Præterea Augustinus Psalmo 98, super illo loco, Adorate scabellum pedum eius, quoniā sanctum est, inquit: Fluctuans cōuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & inuenio quomo-

do

Gen. 18.

Ios. 5.

Exod. 33.

do sine impietate adoretur terra, & sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam nobis carnem manducandam ad salutem dedit (nemo autem illam carnem manducat nisi prius adorauerit) inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Ambrosius quoque eundem locum interpretans, libro 3 de spiritu sancto, cap. 12. ait: Videamus tamē ne terram illam dicat adorandam propheta, quā Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli *Mat. ult.* in Domino Iesu, ut supra diximus adorarunt.

Tigurini quoque Lutherum increpant, quòd cum asserat in pane uerum & naturale corpus Christi esse, & in Eucharistia uerè & corporaliter Christum esse præsentem, sacramentum tamen non adorandum censeat, ita enim in eum scribunt: *Quid uerò? panis uerum & naturale Christi corpus est, & in cæna uerè & corporaliter (ut Papa & Lutherus docēt) Christus præsens est? cur ergo Dominus illic adorari non debet, ubi illum præsentem esse dicitis? Quamobrem illud adorare prohibebimur, quod non sacramentaliter modò, sed corporaliter quoque cor-*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Ioan. 20. *pus Christi est. Thomas uerum Christi corpus à mortuis excitatū cōtrectat, ac in genua prouolutus adorat, dicēs, Deus meus & Dominus meus. Discipuli Dominum tam ante quàm post ascensionem eius adorant, Matth. 28. Acto. 1. Et Dominus apud Ioannem, cap. 9. ceco inquit, Credis in filium? Et respondit illi, dicens: Domine, quis est ut credā in illum? Et dixit ei Iesus: Et uidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Et ille ait: Credo Domine, & adorauit eum. Quòd si Domini panem naturale Christi corpus reuera esse doceremus, cū Papistis certè fideliter quoque essemus adoraturi. Hæc Tigurini. Itaque illi sacramentum se ideo non adorare dicunt, quòd nihil nisi symbolum Christi absentis id esse, contra Lutherum putent.*

Ser. de cœna Do.

Cæterum Cyprianus longe diuersæ est sententiæ, sic scribens: Sacramenta quidam quātum in se est, sine propria esse uirtute nō possunt, nec ullo modo diuina se absentat maiestas mysteriis, sed quamuis ab indignis se sumi uel cōtingi sacramenta permittāt, non possunt tamen spiritus esse participes, quorū infidelitas uel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. Hæc Cyprianus.

Ab exordio autem nascentis Ecclesiæ, nusquā quisquam catholicus ad baptismū admissus, dubitauit de præsentia Christi in Eucharistiæ sacramento, sed omnes antequam ad lauacri fontem admittebantur, ita edocti, se id credere profitebantur, uti Iustinus martyr in secunda apologia sua contra gentes testatur. Cæterum quomodo

do

do panis qui ante consecrationem erat communis, ineffabili spiritus sanctificatione transfret in corpus eius, ueterum doctissimi quiq; inscrutabile existimauerunt, ne cum Capernaitis non credentes uerbis Christi, sed quomodo id fieret quærentes, tentarent supra sobrietatem sapere plus *Rom. 12.* quàm oportet. Illis uerò satis superq; uisum est, omnipotentia ac uerbis Christi firmiter credere, qui fidelis est in omnibus uerbis suis, quique *Psal. 144.* mirabilium suorum operandi modum, solus cum patre & spiritu sancto nouit. Porro ante Innocentium tertium Romanum episcopum, qui in Lateranensi concilio præfedit, tribus modis id posse fieri curiosius scrutantibus uisum est: Aliis existimantibus unà cum pane, uel in pane Christi corpus adesse, ueluti ignem in ferri massa, quem modum Lutherus secutus uidetur: Aliis panem in nihilum redigi, uel corrumpi: Aliis substantiam panis transmutari in substantiam corporis Christi, quem modum secutus Innocentius, reliquos modos in eo concilio reiecit, quamuis miracula nō pauciora, imò uerò plura quàm in reliquis reiectis ab eo modis, oriri curiosius inuestigantibus uideantur. Sed Dei omnipotentia, cui nihil est impossibile, miracula cuncta cedere, his qui cum Innocentio in eo Concilio interfuerunt uisum est, quòd is modus maxime cum uerbis hisce Christi, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, congruere illis uisus est. *Mat. 26.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Scotus libro quarto Sententiarum, distinctione undecima, quæstione tertia, recitando Innocentium, ait tres fuisse opiniones: Vna quòd panis manet, & tamen cum ipso uerè est corpus Christi: Alia quòd panis nō manet, & tamen non cōuertitur, sed definit esse, uel per annihilationem, uel per resolutionem in materiam, uel per corruptionem in aliud: Tertia quòd panis transubstātiatur in corpus, & uinum in sanguinem. Quali bet autem istarum uoluit istud commune saluare, quòd ibi uerè est corpus Christi, quia istud negare est planè contra fidem. Expressæ enim à principio institutionis Eucharistiæ fuit de ueritate fidei, quòd uerè ibi & realiter corpus Christi continetur. Hactenus Ioannes Scotus à scholasticis ob mirum ingenij acumen, doctoris subtilis nomine insignitus. An satius autem fuisset curiosis omnibus imposuisse silentium, ne scrutarētur modum quo id fieret, cum uix Domini sint inuestigabiles, sicut fecerunt prisca illi qui inscrutabilia quærere non tentabant, & facile Deum aliquid efficere posse putabant, cuius nos rationem inuestigare nō possumus: Scribit nāque Augustinus ad Volusianum, dicens: Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis: An uerò potius de modo quo id fieret, curiosum quemque suæ relinquere coniecturæ, sicut liberum fuit ante illud

Epist. 3.

conci-

concilium, modò ueritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia esse fateretur: quæ fuit ab initio ipsa Ecclesiæ fides: An fortasse melius de tribus illis modis suprâ memoratis, illam unam eligere, quæ cum uerbis Christi maxime quadraret, & cæteros modos abiicere, ne alioqui inter nimis curiosos illius ætatis homines, finis contentionum non fuisset, quando contentioso illo seculo linguis curiosis silentium imponi alio modo nõ potuit: Iustum existimo ut de eiusmodi, quia Ecclesia columna est ueritatis, firmũ eius omnino obseruetur iudicium. Cæterũ qui palam contendunt illum modum transubstantiationis reiiciendum penitus esse, quòd uocabulum transubstantiationis in scripturis non reperiatur, nimis præfracti iudicij sese ostendunt. Quasi uerò Christus eo modo, illud quod uult efficere non posset: cuius omnipotentia & spiritus sancti operationi, in totũ detrahere sua assertionem uidentur. Et in multo maius audaciæ crimen incidunt ipsi, quàm quod Lateranensi concilio obiiciunt: quãdoquidem si illis credimus, nec Christus, nec spiritus sanctus id efficere posset, ut panis in corporis Christi substantiã transeat. Cuius uerbo quoniam etiam increata cuncta cesserunt, ut sint quæ non erant, quanto magis creata cuncta in id transmutantur, quod ea esse uoluit: sicut uirga Moyse re ipsa mutata est in serpentem uerum, & rursus à serpente in uirgam ue-

Exod. 7.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

ram. At Tigurini *ἰσομαχῶντες*, nihilque per infidelitatem nimiam non audentes, corporis & sanguinis Christi ueritatem in Eucharistia penitus negant, qua de re nunquam post Christum passum catholicus quispiam dubitauit.

Quòd Eucharistia conseruanda sit ad
uiaticum infirmorum.

Quòd autem conseruatio Eucharistiæ iam cōsecratæ, ad uiaticum infirmorū uel in hora mortis, uel in graui ægitudine id poscentium, in primitiua Ecclesia fiebat: illud sciendum est, Græcorum Ecclesiā, in quadragesima Eucharistiam non cōsecrare, nisi in sabbatis & dominicis diebus. Cæteris uerò diebus utūtur liturgia antè cōsecratorum, quæ in illum usum seruantur, si cui cōmunicare per hebdomadā libeat. qualis mos ab antiquo in die parasceues, in Latinorū etiam Ecclesiis seruari solitus est. A Græcis ἡ θεία λειτουργία τῆν πενήτασ μείων uocatur. de quo in 52 capite 6. synodi cauetur. Per quadragesimam præter sabbata, & dominicas, & annunciationis diem, non aliam liturgiam nisi hanc frequentandam.

Ἐν πάσαις ταῖς τῆς ἀγίας πωσαρακισῆς τῆν νηστειῶν ἡμέραις, πἀρεκτος σαββάτῃ, καὶ κυριακῆς, καὶ τῆς ἀγίας τῆς ἐναγελισμῶν ἡμέραις, γινέσθω ἡ τῆν πενήτασ μείων ἱερὰ λειτουργία.

In omnibus sanctæ quadragesimæ ieiuniorū diebus, præter sabbatum, & dominicam, & sacrum annunciationis diem, fiat antè cōsecratorum sacrum ministerium.

Et

Et Cyrillus ad Calosyrium episcopū scribit: Audio quòd dicāt mysticam benedictionem, si ex ea remanserint in sequentem diem reliquiæ, ad sanctificationem inutilem esse, sed insaniunt hæc dicentes: Non enim alius fit Christus, neq; sanctum eius corpus immutabitur, sed uirtus benedictionis, & uiuifica gratia manet in illo.

Ambrosius in oratione funebri de obitu fratris sui Satyri narrat, quomodo Satyrus frater suus in naufragio constitutus, cū ea qua uehretur nauis scopuloso illisa uado, & urgentibus hinc atque inde fluctibus solueretur, non mortē metuēs, sed ne uacuis mysterij exiret è uita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos infereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atq; ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulā, cui supernatans iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque se tectū atque munitum fatis credens, alia auxilia nō desiderauit. Simul fortitudinē eius spectare licet, qui fatiscente remigio, non quasi naufragus tabulam sumpserit, sed quasi fortis ex se ipso, adminiculum suæ uirtutis assumpserit. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio.

In Ecclesiastica quoq; Eusebij historia lib. 6. cap. 34. huiusmodi ex Dionysio Alexādrino nar-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

ratur historia: Serapionem quendam fuisse apud Alexandriam, unum ex his qui lapsi sunt, eundemq; sæpe deprecatum ut susciperetur, nec tamen impetrasse. Oppressum deinde hunc esse ægritudine, ita ut triduo iam sine uoce prorsus iaceret, paululum uerò quarta die respirantem, uocasse ad se filiam suã, & dixisse: Quousq; me detinetis? Quæso uos, cito aliquis presbyterum roget, ut possim aliquando dimitti. Et cum hæc dixisset, rursus sine uoce permansit. Abiit cursu puer ad presbyterum noctis tempore, infirmabatur presbyter, uenire non potuit, tamen quia præceptum fuerat à me, ut lapsis in exitu nemo reconciliationis solatia denegaret, & maxime his, quos prius id rogasse constaret, parum Eucharistię puero, qui ad se uenerat, dedit, quod infusum iussit seni præberi. Regrediente adhuc puero, antequam regrederetur domum, rursus Serapion respiciens: Redisti, inquit, fili? Et licet presbyter uenire nõ potuit, tu tamẽ imple quod tibi præceptum est, ut possim discedere. Cumq; esset completa solennitas, uelut catenis quibusdam, uinculisq; disruptis, lætiores iam spiritum reddidit. Ex quo, inquit, cõstat certissime, huius boni auxilio nullum debere fraudari.

Basilii quoque ad Cæsariam Patriciam, quæ Eucharistiam propria manu cõtingere, religione quadam uerebatur, ita scribit: καὶ τὸ κοινοῦ εἶναι δε
καθ' ἑκάστην ἡμέραν, καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ
αἵματος

αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καλὸν ἢ ἐπωφελές, αὐτοῦ θρασύς λέγοντος, ὁ φάγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. τίς γὰρ ἀμφισβάλει, ὅτι τὸ μετέχειν συνεχῶς τῆς ζωῆς, οὐδὲν ἄλλο ὅστιν ἢ ζῆν πολλαχῶς, ἡμεῖς μάλιστα τετάρτον καὶ ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ πετράδι, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ ἐν σαββάτῳ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ἐὰν ἡ μνήμη ἁγίου τινός. Τόδε ἐν τοῖς τοῦ διαγμοῦ καιροῖς ἀναγκάζεσθαι τινα μὴ παρόντες ἱερέως, ἢ λειτουργοῦ, τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ, μηδαμῶς εἶναι βαρύν, πᾶσι τῶν ὅστιν ἀποδεικνύεται. διὰ τὸ τὴν μακρὰν σωτήριαν τοῦτο δι' αὐτῆν τῆν πραγμάτων πιστώσασθαι. πάντες γὰρ οἱ κατὰ τὰς ἡρήμους μονάζοντες, ἐνθά μὴ ὅστιν ἱερέως, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες, ἀφ' ἑαυτῆν μεταλαμβάνουσιν. Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ ἐν Αἰγύπτῳ, ἕκαστος καὶ τῆν ἐν λαῶ πελοῦτών, ὡς ἔωθ' ὁ πλεῖστον, ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. ἀπαξ γὰρ τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσας, καὶ δεδωκότος, εὐκότως μεταλαμβάνειν, καὶ ἀποδέχεσθαι πισθύνειν ὀφείλει. ἢ γὰρ καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ἀποδέχμενος μετ' ἰθυσίας πάσης, καὶ αὐτὴν πρὸς ἀγὰ τῷ σώματι τῇ ἰδίᾳ χειρὶ. ταυτὸν τοίνυν ὅτι τῇ δυνάμει, εἴτε μία μερίδα δέξεται ἢ τίς παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ.

Et communicare per singulos dies, & participare de sacro corpore & sanguine Christi, pulchrum & ualde utile est, ipso manifestè dicente: Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Quis enim ambigit quin frequens uitæ participatio, nihil aliud sit quàm pluribus modis uiuere? Nos idcirco quater in singulis hebdomadis cōmunicamus. In die dominico, in quarto die hebdomadæ, in parasce-

Ioan. 6.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

ue, & in sabbato, ac in aliis diebus, si qua memoria fuerit sancti alicuius. Illud autem in persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam, non praesente sacerdote aut ministro, communionem propria manu sumere, nequaquam esse graue, superuacaneum est demonstrare, propterea quod longa consuetudine, hoc ipso rerum usu confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam uitam agentes, ubi non est sacerdos, communionem domini seruantes, a seipsis communicant. In Alexandria uero & in Aegypto, unusquisque eorum qui sunt de populo, plurimum habet communionem in domo sua. Semel enim sacrificium sacerdote consecrante & distribuente, merito participare, & suscipere, credere oportet. Etenim & in Ecclesia sacerdos dat partem, & accipit eam is qui suscipit cum omni libertate, & ipsam admouet ori propria manu. Idem igitur est uirtute, siue unam partem accipiet quispiam a sacerdote, siue plures partes simul. Ex hac epistola cernere licet, persecutionis tempore necessitate cogente, uetustum Ecclesiae morem coepisse, ut sacerdote sacrificium peragente, quisque de populo communionem ab eo interdum una, nonnunquam pluribus partibus simul susciperet, & apud se domi seruaret. Cumque ei communicare liberet, a seipso communionem sumeret, ne sacrum uaticum uel in periculo constitutis, uel a uita exeuntibus deesset, moremque illum in Ecclesia seruari so-

ri solitum suo tempore, scribit Basilius. In Niceno quoque concilio cautum est, ut si quis egreditur ex corpore, ultimo & necessario uitæ suæ uiatico non priuetur. Id quod secundū antiquæ legis regulam, obseruandum statuit. Generaliter autem cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. Ex quo manifestum est, sacrum uiaticum, in eum usum semper seruari solitum. Alioqui si nullum uiaticum seruatum esset, plerique uel de nocte animam agentes, uel eo diei tempore quo parari in eum usum uiaticum non posset, sine communionem uita decederent.

DE BAPTISMO.



Ecolampadius sicut per Nicenum concilium subdola uersione, sacrificium in Eucharistia antiquare molitur, ita etiam qua parte idem concilium de baptismo sententiam suam profert, solita sua uafricia mentem concilij enarrando peruertens, aquæ uim in baptismo tollere conatur, ac primo Græca recitat, & postea Latina subdit, quæ sequuntur. *τὸ βάπτισμα ἡμῶν, οὐ τοῖς αἰσθητοῖς ὀφθαλμοῖς κατανόησον, ἀλλὰ τοῖς νοεροῖς. ὕδωρ ὄρα, νόσον τὴν ἐν τοῖς ὕδασι κρυπτομένην τοῦ Θεοῦ δυνάμιν. Ἐν γὰρ πνεύματι ἁγίῳ καὶ ὕδατι βαπτίζεσθε ἡμᾶς, οἱ ἱεροὶ διδάσκειναι λόγοι. Ἐν γὰρ πίσει*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

του βαπτίζοντος καὶ τοῦ βαπτιζομένου, διὰ τῆς ἱεραῆς ἐπικλή-
σεως, πλήρη τοῦ ἁγιασμοῦ τοῦ πνεύματος, καὶ τοῦ θεοῦ πυρὸς,
ΛΟΥΚ. Γ. ἢ τὰ ὕδατα. αὐτὸς γὰρ, φησὶ, βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ
πυρὶ. κατέρχεται μὲν οὖν βαπτιζόμενος ὑπόθωπος ἁμαρτη-
μάτων, καὶ τῆ τῆς φθορᾶς δουλείᾳ ἐνεχόμενος. αἰέρεται δὲ
ἐλευθερωθεὶς τῆς περὶ αὐτοῦ δουλείας, καὶ τῆς ἁμαρτίας, υἱὸς τοῦ
θεοῦ, καὶ κληρονόμος γάρ τινος αὐτοῦ γονῶς, συγκληρονόμος δὲ
ΓΑΛ. Γ. Χριστοῦ, αὐτὸν οἰδυσάμενος τὸν Χριστόν. καθὼς γέγραπται, ὅτι
εἰς Χριστόν ἐβαπτίσθητε, Χριστόν οἰδύσαθε.

De sancto Baptismo.

Baptisma nostrum non sensibilibus oculis,
sed mentalibus considerandum est. Aquam ui-
des? Considera diuinam uim, quæ in aquis latet.
Luc. 3. Nos enim spiritu sancto, & igni baptizari tradūt
sacra eloquia. Nam in fide eius qui baptizat, &
eius qui baptizatur, per sanctam inuocationem,
plenas sanctificatione spiritus, & diuini ignis co-
gita aquas. Ipse enim, inquit, baptizabit in spiri-
tu sancto & igni. Itaque descēdit quidem is, qui
baptizatur, peccatis obnoxius, & corruptionis
seruitute detentus: ascēdit autem ab ea seruitute
& peccatis liber, filius Dei, & heres gratia Dei fa-
ctus, coheres autem Christi, ipsum indutus Chri-
stū. sicut scriptū est: Quotquot baptizati estis in
Christum, Christū induti estis. hucusq; Canon.

Deinde Nathanaelem Oecolāpadius interlo-
cutorem in dialogo suo faciens, & quidlibet fa-
teri, quidlibet negare, pro arbitrio cogēs, sic in-
terro-

interrogantem inducit. *Natha.* Hoc nimirum uidetur uelle Canon, externis oculis aquam, internis uirtutem Dei contemplandam tribuit. Sed quomodo latet in illa diuina uis? huic interrogationi respondet *Oecolampadius*, inquit: Neque hic crassum licet intelligere, ita ut elementum rei summae, cuius non est capax, particeps fiat. Aqua enim quoniam insensata est, ac rationis expers, gratiam spiritus sancti, cuius sola mens domicilium est, in se non habet. Nam ut annulus nuptialem fidem in se non continet, ita nec illa tantam gratiam, sed utentibus illo symbolo, legitime, uere & absque damno, gratia adest. Hoc Canon aperte habet, dicens, in fide eius qui baptizat, & baptizatur, per sanctam inuocationem plenas sanctificatione spiritus, & diuini ignis cogita aquas. Quibus uerbis monet: uide quomodo lateat uis, quidue gratia sanctificationis sit capax: quasi dicat, Ad fidem respiciendum erit, si spiritus sancti uasculum inquiris, sicut annulus per se non est capax fœderis, sed in fide sponsi & sponsæ per mutuam promissionem, cogita annulum conjugalis fœderis indissolubile uinculum possidere, & uident externi oculi nihil præter annulum, interni uero, matrimonij uinculum. His uerbis *Oecolampadij Nathanael* hians acquiescit, & stolidus cedit impostori præstigatoris sponsalis annuli dissimili similitudine stupefactus.

Atque hic palam cernis, quas præstigias illufor iste profert: fidem baptizantis & baptizati contuendam esse monet, si quis spiritus sancti uascu

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

lum inquit, nam elementū inquit aquæ, quoniam insensata est, rei summæ non est capax: atque ita lectorem abducit, ne aliud quàm fidem baptizantis & baptizati respiciat, cum alioqui concilium considerare etiam iubeat, diuinam uim, quæ in aquis latet, & unà cum fide eius qui baptizat, & qui baptizatur, per sanctā inuocationē plenas sanctificatione spiritus, & diuini ignis cogitandas esse aquas admonet. At impostor iste, contra, tum expressa uerba, tum mentem concilij, negat diuinam uim ullam esse in aquis, sed in fide baptizantis, & baptizati omnia cōstare docet, nec per sanctam inuocationē aquas sanctificatione spiritus & diuini ignis plenas cogitandas esse uult, contra manifesta concilij uerba: nā nihil spiritus esse capax, nisi humanam animā, esse putat, nec in inanimata quicquam operari spiritum sanctum credit. Aqua enim (inquit) quoniam insensata est, ac rationis expers, gratiā spiritus sancti, cuius sola mens domicilium est, in se nō habet. Itaque spiritum sanctum in ea quæ ratione carent, & inanimata sunt, nihil operari affirmat. Atqui si nulla diuina uis in aquis latet, quare concilium considerare uim illam latētem in aquis iubet? Si per sanctam inuocationem plenas sanctificatione spiritus, & diuini ignis cogitare iubet aquas, quàm inuerecunda & perfricta fronte est Oecolampadius, ipse omni aqua insensatior, qui nullam gratiam spiritus eas habere

recēset, quas per sanctam inuocationem plenas sanctificatione spiritus, & diuini ignis, conciliū confirmat. Nam quantūuis per fidem in baptismo, spiritus sanctus domicilium sibi in baptizati anima parat, attamen ad illius domicilij architecturam Christus aquam adhibere mandat: nimirum diuinam uim ei inferens, ut ad opus destinatum seruiat, & nō frustra apponatur. Porro quāquam fides plurimum ualet ad opificiū mentis extruendum, aquam tamen simul adhibendā *Mat. 28.* esse, Christus architectus instituit. Itaque concilium Nicenum Christi institutum approbās, nihil dubitat quin uis ingens diuina lateat in aquis, quam considerandam esse hortatur.

Quinetiam, ut magis scias orthodoxos omnes ab origine Ecclesiae, cum concilio Niceno consentire, & diuinam uim quæ in aquis latet considerandam esse censuisse, nec unquā dubitasse, quin per sanctam inuocationem plenæ sanctificatione spiritus, & diuini ignis aquæ baptismi fuerint existimādæ, uisum est quorundam ueterum cum Niceno concilio consentientiū, quorū nonnulli concilium ipsum antecesserūt, alij uerò secuti sunt, de ea re sententiam adiungere.

Itaq; Tertullianus in libro de Baptismo, in testimoniū citādus occurrit, qui sic scribit: Igitur omnes aquæ de pristina originis prorogatiua, sacramētum sanctificationis consequuntur inuocato Deo. Superuenit enim statim spiritus de *Gen. I.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

cælis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ uim sanctificandi combibunt: quâquam ad simplicem actum competit similitudo, ut quoniã uice fordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta sicut non in carne comparēt, quia nemo super cutem portat maculam idololatriæ, aut stupri, aut fraudis, ita eiusmodi in spiritu sordēt qui est auctor delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur, tamen utrunque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministeriũ. Igitur medicatis quodammodo aquis, per angeli interuentum, & spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eisdẽ spiritualiter mundatur. Huc usque Tertullianus, cuius sensus est.

Quia spiritus Domini in principio ferebatur super aquas, omnes aquæ de pristina originis prerogatiua, sacramentum sanctificationis inuocato Dei nomine consequuntur, statim enim superuenit spiritus sanctus de cælis super aquas, sanctificans eas de semetipso, atque ita sanctificatę, ipsæ uim sanctificandi combibunt, & medicatis aquis per angeli interuentũ, spiritus & caro quę inter se reatum communicant, spiritus ob imperium, caro ob ministerium, mundantur uterque. Ac spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eisdem spiritualiter mundatur. En tibi in ipso elemento aquę inuocato Deo, uim spiritus esse testatur.

Simi-

Similiter Irenæus sese offert inquiring: Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unū fieri in Christo Iesu poteramus sine aqua, quæ de cælo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic & nos lignum aridum existentes primū, nūquam fructificaremus uitā, sine superna uoluntaria pluuia. Corpora enim nostra, per lauacrum illud quod est ad incorruptionem, unitatem acceperūt: animæ autem per spiritum: unde & utraque necessaria, cū utraque proficiunt in uitam Dei, miserante domino nostro Iesu Christo, Samaritanæ præuaricatrici, quæ in uno uiro non mansit, sed fornicata est in multis impiis, & ostendente ei & pollicente aquam uiuam, ut ulterius non sitiret, neque occuparetur ad humectationem aquæ laboriosæ, habens in se potum salientem, in uitā æternam: quam Dominus accipiens munus à patre, ipse quoq; his donauit, qui ex ipso participātur, in uniuersam terram mittēs spiritum sanctum.

*Iren. cōtra
her. lib. 3.
cap. 9.*

Ioan. 4.

Hic Irenæus testatur per lauacrum baptismi, corpora nostra ad incorruptionem tendere, animas uerò per spiritū qui est in aquis: unde utraque necessaria & spiritus & aqua, ut in uitā Dei proficiamus.

Chrysostomus quoque in Ioannem hom. 35. ex cap. 5. ait: Primū igitur pollutiones corporum, inde uaria morborum genera, per aquam sanā-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Ioan. 5.

tur. Siquidem cum uellet Deus appropinquantis baptismatis fidem nos erudire, nō solūm peccata, sed morbos per aquā expulit. Propiores enim ueritati imagines, & in baptisate, & passione, & in aliis certiores fuerūt, quā uetustiores. Nā sicut regij familiares, hastatis honoratiores sunt, ita & propiores figuræ. Et descendens angelus motæ aquæ sanandi uirtutem largiebatur, ut intelligerēt Iudæi, longe magis angelorum dominum, omnia animæ impedimenta sanare posse. Et quemadmodum huius aquæ natura per se nō sanabat: siquidem semper sanasset, sed duntaxat cum ab angelo mouebatur: ita & in nobis, non simplex aqua operatur, sed cum spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata.

Hic Chrysostronus cōparat aquam baptismi, ad aquam probaticæ piscinæ, quæ per se non sanabat aquæ natura, alioquin semper sanasset etiā angelo non descendente, & mouente aquam, sed dūtaxat quādo ab angelo mouebatur, qui prior descēdisset sanabatur: similiter, inquit, in nobis baptizandis, nō simplex aqua operatur, sed cū aqua spiritus gratiā accipit, omnia abluit peccata. Atque ita uides aquā baptismi, gratiæ spiritus esse capacem, sicut Nicenum conciliū affirmat.

Chrysostronus etiam homilia 7, Psal. 22. scribit hoc modo: Est & aqua catholica, in qua ostēditur fons æternus, qui reficit, id est iterum facit, quomodo generatio & regeneratio reficit ani-

mas.

mas, quia innouat in fide, abluat sordes, tollit maculas, rudem facit aptum, expoliens ueterem hominem cum actibus suis, induens nouum eum, qui secundum Deum creatus est. Hæc aqua primum tenet in elementis: sed cum istud elementum acceperit spiritum sanctum, fit sacramentum, & iam non erit aqua potationis, sed sanctificationis: non erit aqua communis, sed refectionis. Per istam aquam educit purgatos, facit perfectos, ratione claritatis & gratiæ illuminans & replens eos: ut ubi abundauerat peccatum, faceret diuites in gratia.

Hoc etiam loco cernere licet, baptismi aquam cum acceperit spiritum sanctum, fieri sacramentum: & iam non esse aquam potationis, sed sanctificationis, per quam purgati redduntur perfecti, ratione gratiæ illuminantis, & eos replentis.

Quinetiam Cyrillus in Ioannem lib. 2. cap. 42. testis non omittendus uidetur, sic scribens: Nam cum non simplex, sed compositus ex corpore sensibili, & intellectuali anima homo sit, duplici quodam ad regenerationem indiget modo, qui duplicitate sua ad utrumque possit accommodari: spiritu enim sancto, spiritus hominis, aqua uero corpus sanctificatur. Quemadmodum enim uiribus ignis intensius aqua calefacta, non aliter quam ignis urit: sic spiritus sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur uirtutem, qua baptizati corpus abstergunt.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Vides hic per spiritus sancti operationem, ad diuinam uirtutem aquas reformari, quæ spiritus uirtutem combiberunt, & à peccati maculis baptifatum abstergere.

Si pergam in recensendis ueteribus, de hac re cum concilio Niceno consentientibus, nullus erit modus: simul namque crescet uolumen in immensum, & nimis multos recitans, fastidium lectori non leue ingenerabo. Quocirca cogitanti mihi fatius uisum est, hoc loco receptui canere: Oecolâpadium uerò, qui gratiam ipse deserens, aquæ gratiam nullam esse pronūciat, quia aqua ipsa insensata fidei non sit capax, uesaniæ suæ relinquere.

En tibi cādide lector, ipse lethifer auernus, ipse pestilens abyssi puteus, ipsa perfidiæ scaturigo, unde Anabaptistæ suum uirus hauserūt, ut paruulos infantes ad baptismum non admitterent. Quia ratione carentes, fidem non habere posse contendunt. Nam quòd aliorum fide alij salui fiant, Anabaptistæ nō recipiunt: cum tamē Christus, aliorum fide & filiam Cananææ uexatam à dæmonio, & paralyticum demissum per tectū, & Centurionis seruum sanauerit, & filiã archi-synagogi mortuam, & Lazarum defunctum fide Marthæ dicentis, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus, suscitauit à morte corporis. Quòd q; aliorū fide, Christus

Mat. 15.

Marc. 2.

Luc. 7.

Luc. 8.

Ioan. 11.

Christus à morte animæ nonnullos suscitauit, perspicuum est in paralytico demisso per tectū sanato, cui dixit, Remittuntur tibi peccata tua.

Hic Oecolampadius apostata Deum deserēs, postquam spiritus fornicationis illum in possessionem arripuit, impegit in illud saxum, in quod ante illum Origenes, ut nec spiritum sanctū, nec Christū, in inanimata, & ratione carentia, quicquam agere asseueraret: atque sicut in Eucharistia quicquam nō esse post consecrationem nisi symbolum putauit, ita nec uirtutem ullam in aqua baptismi sanctificata, diceret. Quem errorē ante annos mille, Theophilus episcopus Alexādrinus in suo Paschali libro cōfutauit: qui ab diuo Hieronymo in Latinam linguam translatus est, de quo errore cōfutato, latius suprā diximus. Sed quid non audet homo à Deo discedens, in porcum subantē uersus? Sed heu nimium multi, hoc miserando seculo eiusmodi falaces λάστυροι prodeunt, post concupiscentias proprias ambulantes, qui nō modo carnis fragilitate lapsi, post carnem in concupiscentia abierunt, sed uirginitatis & cælibatus uota quantumuis Deo dicata, uniuersa irrita esse, contra Prophetica, Evangelica, & Apostolica scripta, impiè nimis asserunt. Et tamen in luce Euāgelij miseri se uersari iactitant, mentē habentes (ut inquit Paulus) ob- *Eph. 4.* tenebratam abalienati à uita Dei, propter ignorantiam quæ est in illis, & excæcationem cordis.

IN EUCHARISTIA LIB. I.
eorum, qui posteaquam peruenerunt eò ut dolere desierint, semetipsos dediderunt lasciuię, ad patrandum immunditiam omnem cum auiditate. Vtinã Deus misericors faxit, ut derelinquẽtes aliquando uias suas prauas, in uiam rectam redeant, & resipiscentes à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, erratorum agant pœnitẽtiam.

2. Tim. 2.

At tu lector, quæso ignosce, si extra propositũ de Eucharistia stadium paululũ euecti, hanc breuem de baptismo digressionem obiter fecimus. Nam cum concilium Nicenum duo hæc præcipua fidei catholicæ sacramẽta, nempe baptismũ & Eucharistiam, stabilire uolens, sententiã suam de utroque sacramẽto posteritati reliquerit, qua illusor iste suis prestigiis Ecclesiam fraudare molitur: uisum est mihi futurũ opere precium, si imposturam illius uafre opertam detegens, orbi patefacerem, ut ne quis simplex amplius seductus, fallacem hunc erronem in posterum sequeretur. Sed priusquam ad institutũ opus redeamus, delassatum lectorem in huius libri fine paululum quiescentem, sese recreare sinamus, ut resumptis uiribus, alacrior ad legenda quæ sequuntur accedat.

PRIMI LIBRI FINIS.

56

LIBER SECVNDVS.

NE uideamur, Christiane lector, catholicam hanc de Eucharistia sententiam asserentes, nempe ueritatem corporis & sanguinis Christi esse in Eucharistia, nihil aliud proferre nisi sedulum latratum in hæc monstra opinionum, quæ nunc Ecclesiam infestant, ut ne de eorû numero esse uideamur, quos Esaias propheta taxat uelut canes mutos non ualentes latrare: En tibi in conspectum exhibemus numerosa ueterum scripturæ tractatorum testimonia, non quidem nuper enata, sed ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis, tã in Oriëte quàm in Occidente recepta, quorum authores nonnulli pro fide Christi quam prædicabãt, sanguinem suum fundentes, martyrum meruere nomẽclaturam: id quod eo consilio fecimus, ut si tibi non liberet tractatum hũc totum perlegere, saltem ex appendice libri huius quem priori adiunximus, testimonium aliquod uetus in hæreticos paratũ, tanquam ex pharetra copiosa, telum in hostem citò promas, quo & fidei impugnatores incesses, & te ipsum in catholica ueritate cõfirmes. Quorundam autem testimonia citamus, qui ut non sint de uetustissimis illis ante mille annos, proximi tamen ad illorũ accedunt ætatem, & neotericorum tempora multis seculis antecedunt,

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

quique; ut à maioribus catholicam ueritatem traditam acceperunt, ita summa fide posteris tradiderunt. Neotericorum autem testimonia omisimus, quia ea quantumuis cum antiquis congruentia, heretici omnino reiiciunt, ostentantes in omni congressu sese non dissentire ab antiquis, cum sint illi ipsi maxime neoterici, nisi quòd cum antiquatis hæresibus neoterica sua deliramenta miscentes, multis partibus eas superant. Cæterum nos istis spretis fida ueterum testimonia sequentes, germanum Christi uerborum sensum ab hereticorum uanis insomniis eruamus.

Quòd corporis & sanguinis Christi ueritas sit in Eucharistia.

Non comedam escam corruptionis, neque uoluptates huius mundi desidero: panem Dei uolo, panem caelestem, panem uitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei uiui (qui natus est in nouissimo ex semine David & Abrahamæ) & potum uolo sanguinè eius, qui est dilectio incorruptibilis & uita æterna. Ignatius epist. ad Romanos.

Εὐχαριστίας ἢ πρὸς φθορὰς οὐκ ἀποδέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν ἄρκα εἶναι τῷ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν παθῆσαι, ἣν χρυσότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν.

Ἰγνάτιος ἐκ τῆς πρὸς Σμυρναίους ἐπιστολῆς.

Eucharistias & oblationes non admittunt, quòd
non

non confiteantur Eucharistiam esse carnem seruatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitauit. Ignatius ex epistola ad Smyrnenses, ut citatur à Theodoro in dialogo tertio, qui uocatur Impatibilis.

Ignatius in epistola ad Smyrnenses, infideles accusat quoniam putatiuè & nõ uerè Christum ex uirgine corpus sumpsisse, crucémque & mortem non uerè passum esse dicebant. Et similiter Eucharistiam non fatebantur carnem esse Iesu Christi, quæ uera fides Ecclesiæ ab initio semper fuit. At quantum excandesceret Ignatius si nunc uiueret, in istos qui Eucharistiã nihil aliud quàm figuram aut significationem esse putant, non autem esse corpus & sanguinem Christi?

Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεσῶτος καὶ ἐπεφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλέμενοι παρ' ἡμῶν διάκονοι, δίδουσι ἐκάστω τῆν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ θυγαρισθηέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς ἑπαρῶσιν ἀποφέρουσιν, καὶ ἡ τροφή αὕτη, καλεῖται παρ' ἡμῶν Εὐχαριστία, ἧς ἔδειν ἄλλω μετασχεῖν ζῶν ὄντι, ἢ τῷ πισθύνοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ διδασχμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λησαιμλίω τὸ ἕπ' ἐρ ἀφέσεως ἀμαρτιῶν, καὶ εἰς ἀκαχλίνησιν λητρον, καὶ ὄντω βιοῦντι, ὡς ὁ χριστὸς παρέδωκεν. ἔ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, ἔδει κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ' ὄν τροπὸν διὰ λόγου θεοῦ, σαρκοποιηθῆς ἰησοῦς χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ ἄρκα καὶ αἷμα ἕπ' ἐρ σωθῆας ἡμῶν ἔσχεν, ἔτω καὶ τὴν δι' ὑχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ θυγαρισθηέντος τροφίω, ζῆ ἡς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολίω τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνσ τοῦ σαρκοποιηέντος ἰησοῦ καὶ

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶν'. οἱ γὰρ Ἀπόστολοι ἐν τοῖς γε-
νομένοις ὑπὸ αὐτῆν ἀπομνημονύμασιν, ἃ καλεῖται δι' ἀγγέλια,
ἕτως παρέδωκεν εἰπετάλ. θαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν, λαβόντα ἄρ-
τον, δι' χειρῶν τα εἶπεν, τὸ το ποιῆτε εἰς τὴν ἀνάμνησίν μου. τοῦτ'
ἔστι τὸ σῶμά μου. καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα καὶ δι' χειρῶν
θαιτα εἶπεν, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. Ἰουστίνος ἀπολογία β.

Cum autem is qui præest gratias egerit, & ap-
probauerit totus populus, ij qui uocantur apud
nos diaconi, distribuunt unicuiq; præsentium ut
participent de pane in quo gratiæ actæ sunt, & de
uino & aqua, & his qui non sunt præsentés defe-
runt. Atque hoc alimentū uocatur apud nos Eu-
charistia, de quo nulli alij participare licitū est,
nisi qui credit uera esse quæ docentur à nobis, &
qui lauacro in remissionem peccatorum, & in
regenerationem lotus est, & sic uiuit sicut Chri-
stus tradidit. Neque enim ut cōmunem panem
& cōmune poculum hæc suscipimus: sed quem-
admodum per uerbū Dei incarnatus Iesus Chri-
stus seruator noster, & carnem & sanguinem ha-
buit: sic & uerbi sui oratione consecratum gra-
tiarum actione cibum, ex quo sanguis & caro no-
stra per transmutationem aluntur, ipsius incar-
nati Iesu & sanguinē & carnē esse edocti sumus.
Apostoli enim in commentariis suis, quæ Euan-
gelia uocātur, sic ipsis præcepisse Iesum tradide-
runt, cum accepisset panem gratiis actis dixisse,
Hoc facite in meam cōmemorationem, Hoc est
corpus meū: & poculum similiter cum accepis-
set

set & gratias egisset dixisse, hic est sanguis meus.

Hic cernis Christianos non ante ad baptismū admissos ab initio fuisse, quàm Eucharistiā esse carnem & sanguinem Iesu Christi edocti essent, quæ doctrina & fides omnium Christianorum erat. Insuper etiam liquet ipsa uerba euangelij, Hoc est corpus meū, hic est sanguis meus, super Eucharistiam pronunciata, literali & non tropico sensu semper intellecta fuisse.

Sed & suis discipulis dans consiliū, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eū qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens, Hoc est meum corpus: & calicem similiter qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamēti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiēs in uniuerso mūdo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerū in nouo testamēto. Irenæus lib. 4. cap. 32.

Apostoli à Christo edocti sunt, atque Ecclesia ab Apostolis, corpus & sanguinē Christi noui testamenti nouam oblationem accipiens, in uniuerso mundo sacrificium Deo purum offert.

Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mūdi filium dicant, id est uerbum eius, per quod lignum fructificat, defluūt fontes, dat pri-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

mum quidē fœnū, pōst deinde spicā, deinde plenū triticū in spica. Quomodo autē rursus dicūt carnem in corruptionē deuenire, & nō percipere uitā, quæ à corpore Domini & sāguine alitur? Ergo aut sententiam mutēt, aut abstineant offerēdo quæ prædicta sunt. Irenæus lib. 4. cap. 34.

Hæretici nonnulli Christi patrem fabricatorem mundi negabant, & tamen Eucharistiā obseruabant: at hos conuincit Irenæus inquiring, Si Christus fabricatoris mundi filius non est, quo pacto cōstabit eis panē in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui, & calicē sanguinē eius, si non omnipotentis fabricatoris mundi filius, ipse omnipotens uerbum sui patris, potest uerbo suo Eucharistiam producere? Aut mutant ergo, inquit, sentētiam, fatentes patrē eius, cuius uerbum est, fabricatorem mundi: aut abstineant ab offerēdo Eucharistiam, quæ produci nequit à nō omnipotente. Rursus dicentes carnē corruptioni obnoxiam uitā non percipere, nimium errāt: quia caro corpore & sanguine Christi, qui uita ipsa est, alitur spiritualiter in uitam æternam.

Quemadmodū enim qui est à terra panis percipiens uocationē Dei, iam non cōmunis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constās, terrena & cælesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Irenæus lib. 4. cap. 34.

Eucharistiam constare dicit ex terrena specie panis

panis & cælesti corpore & sanguine Christi, quæ percepta à nobis, sic corpora nostra corrumpi non sinit, ut non resurgant in uitam.

Vani autē omnimodo qui uniuersam dispositionē Dei contemnūt, & carnis salutē negant, & regenerationē eius spernūt, dicētes nō eam capace esse incorruptionis. Sic autē secūdum hęc uidelicet nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix Eucharistiæ cōmunicatio sanguinis eius, neque panis quem frāginus, cōmunicatio corporis eius est. Sāguis enim nō est nisi à uenis & carnibus, & à reliqua quæ est secūdum hominē substātia, qua uerè factū uerbū Dei sanguine suo redemit nos, quemadmodum & Apostolus eius ait: In quo habemus redemptionē per sāguinē eius, & remissionē peccatorū. *Irenæus lib. 5. Ephe. I.*

Qui dicunt carnem nō capace incorruptionis ut resurgat in uitam, & redemptionem nostram negare uidentur, & Eucharistiam esse corpus & sanguinem Domini, quæ nemo Christianus unquam negauit: ideoq; istos Christianismo in totum sese abdicare censet Irenæus.

Sed & caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur ut anima consecretur, caro signatur, ut & anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur: caro corpore & sanguine Christi uescitur, ut & anima de Deo saginetur. Tertullianus de resurrectione carnis.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Ecce caro etiã ipsa & nõ solus spiritus corporali simul & spiritali esu in eucharistia pascitur.

Gen. 49.

Multo manifestius Genesis in benedictione Iudæ, ex cuius tribu carnis census Christi processurus iam tunc Christum in Iuda delineabat. Lauabit, inquit, in uino stolam suam, & in sanguine uuæ amictum suum: stolam & amictũ carnem demonstrans & uinum sanguinem. Ita & nunc sanguinem in uino consecrauit, qui tunc uinũ in sanguine figurauit. Tertullianus aduersus Martionem lib. 4.

Vides hic in uino sanguinem consecrari in nouo testamento, sicut in uetere sanguinem per uinum figurari.

καὶ διὰ τοιαῦτα δὲ κέλως μὲν ὡς ἀνοῶν θεόν, τὰ χειρῶν εἰα δαίμοσι ἀποδιδόντω, ἡμεῖς δὲ τῷ τῷ παντὸς δημιουργῷ ὑχεισώμετες, καὶ ἔντες μετ' ὑχεισίας καὶ ὑχῆς τῆς ὕδατος τοῖς δοθείσι, προσεγομύνας ἄρτους ἐπίομεν, σῶμα γινόμενους διὰ τὴν ὑχίω ἀγιόν τι, καὶ ἀγιάζον τοὺς μετὰ ὑγιῶνς προσέσεως αὐτῷ χαρμύλους. Ἐκ τοῦ ὁσδοῦ τόμα τοῦ κατὰ κέλου.

Quocirca Celsus ut Dei ignarus gratias demonibus reddat, nos uerò conditori omnium Deo gratias agentes, & pro collatis eius in nos beneficiis actis gratiis, oblatis panibus uescimur, qui utique per precem efficiuntur corpus quoddam sanctum, & sanctificās eos qui sano proposito & mēte ipso utātur. Origenes contra Celsum lib. 8.

Hic panes oblatis & sanctũ corpus nempe Christi per mysticam precem fiunt, & idem corpus Christi,

Christi, cunctos sumētes saniore mente sanctos reddit.

Quando sanctum cibum illudq; incorruptū accipis epulū, quando uitæ pane & poculo frue- ris, manducas & bibis corpus & sanguinem Do-

mini, tūc Dominus sub tectū tuum ingreditur. *Mat. 8.*

Et tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionē, & dicito, Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipien- ti. Origenes in diuersos, homilia. 6.

Quādo corpus & sanguinem Domini in Eu- charistia manducando & bibendo dignè sumi- mus, Dominus sub tectum nostrum ingreditur in hominem interiorem: quando uerò indignè sumimus, in exteriorem hominē Dominus in- dignè ingreditur ad iudicium.

At uerò nūc non infirmis, sed fortibus pax ne- cessaria est, nec morientibus sed uiuentibus com- municatio à nobis danda est, ut quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nu- dos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersariū uolumus, mu- nimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in con- fessione nominis sanguinē suum fundere, si eis militaturis, Christi sanguinem denegamus? Aut

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

quomodo ad martyrij poculū idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini, iure cōmunicationis admittimus? Cyprianus Epistolarum lib. i. epistola 2.

Sāctificata ora cælestibus cibis, post corpus & sanguinem Domini prophana contagia, & idolorum reliquias respuerunt. Cyprianus Sermones de lapsis.

In corpore atq; ore uiolato Eucharistia permanere nō potuit, sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis uisceribus erupit, tāta est potestas Domini, tanta maiestas. Cypria. de lapsis.

Mat. 6. Panem nostrum uocamus, quia Christus noster, qui corpus eius contingimus, panis est. Hūc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstēti & non cōmunicantes à cęlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, ipso p̄dicente & monente, *Ioan. 6.* Ego sum panis uitę qui de cælo descendi: si quis ederit ex hoc pane, uiuet in ęternum: panem autem quę ego dederō, caro mea est pro seculi uita. Quando ergo dicit in ęternū uiuere, si quis ederit de eius pane, ut manifestū est eos uiuere qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure cōmunicationis accipiunt: ita contrā timēdum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, cōminante

nante ipso & dicente: Nisi ederitis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Et ideo panem nostrum, id est Christũ dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & uiuimus, à sanctificatione & corpore eius non recedamus. Cyprianus de oratione dominica, Sermone 6.

Cœna itaq; disposita inter sacramentales epulas, obuiarunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis: nec iam ad elaborata impensis & arte conuiuia populi inuitantur, sed immortalitatis alimonia datur à communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed uirtutis diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam. Significata olim à tẽpore Melchisedech prodeunt sacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius, summus sacerdos panem profert & uinũ, Hoc est, inquit, corpus meum. Manducauerunt & biberunt de eodem pane secundum formam uisibilem, sed ante uerba illa cibus ille communis, tantũ nutriendo corpori cõmodus erat, & uitæ corporalis subsidium ministrabat: sed ex quo à Domino dictũ est, Hoc facite in meam cõmemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus, quotiescunq; his uerbis & hac fide actum est, panis iste substantialis & calix benedictione solenni sacratus, ad to-

Gen. 14.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

tius hominis uitã salutẽmq; proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens. Cyprianus de cœna Domini.

Non enim spernit precem uestram in tãtum, ut in cruce positus pro crucifigẽtibus oret, ut sit laus eius in Ecclesia magna, & uota sua reddat coram timentibus eum, dum edent corpus eius pauperes spiritu ut satiẽtur, & facti diuites in fine laudent Dominũ requirentes eum, & uiuant corda eorum in æternum. Arnobius in Psal. 21.

Confessio Trinitatis & magnificentia deitatis opus eius, iustitia eius immutabilis perseuerat in secula seculorũ, in qua iustitia, memoriam fecit mirabilium suorum, dicens: Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriã facietis. Quando hoc dixit misericors & miserator Dominus? tunc sine dubio quãdo escam dedit corporis sui timentibus se. Arnobius in Psal. 110.

Hoc pariter & animus ueri Christiani, non tã ob uerba parẽtum, sed ab operibus & exultatione cordis, tum maxime cùm stata festiuitatum tempora ingruũt, ut illuminationum, quam natiuitatem Christi, & Epiphanię, quem trium regum appellamus diem. Communionis deniq;, quam sanctissimi corporis & sanguinis Christi sumptionem, aut ut alij nõ pauci, transitum siue Pascha uocant, satis compertum habet singularitum gaudio tum lætitia, quòd spiritum sanctũ

cum

cum baptismo accepit. Athanasius in libro de
uariis questionibus ad Antiochum, questione 2.

Corpus est ergo cui dicit, *Sede à dextris meis, Psal. 110.*
cuius etiã fuit inimicus diabolus, cum malis po-
testatibus, & Iudæi & Græci, per quod corpus
pontifex & Apostolus, & fuit & dictus est, per id
quod nobis tradidit mysterium dicens: Hoc est
corpus meum, quod pro uobis frangitur, & san-
guis noui testamenti non ueteris, qui pro uobis
effunditur. Diuinitas enim neque corpus habet,
nec sanguinem, sed homo quem ex Maria por-
tauit. Athanasius in oratione de fide, ut citatur
à Theodoro in dialogo 2.

Tantæ enim potestatis, uel creationis spiritus
sanctus ostēditur, ut ipso cooperāte corpus Do-
mini nostri Iesu Christi, qui nobis in sacramen-
to fidei datus est, in utero uirginis formaretur,
Euangelista dicente, *Ne timeas Ioseph accipere Mat. 1.*
Mariam coniugem tuam: quod enim in ea na-
tum est, de spiritu sancto est, & item: Priusquã,
inquit, conuenirent, inuenta est in utero habēs
de spiritu sancto. Athanasius in disputatione
contra Arium die 2.

Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest *Ioan. 6.*
quicquã: uerba quæ ego locutus sum uobis spi-
ritus sunt & uita. Et hic, siquidem utrūque de se
prædicauit carnem & spiritum, ac carnem à spi-
ritu distinxit, ut nō tantum quod uidebatur, sed
hoc etiam quod in illo erat inuisibile credentes

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

discerent, quòd ea quoque quæ loquebatur non essent carnalia, sed spiritualia. Quot enim hominibus suffecisset corpus ad esum, ut hoc totius mundi fieret alimentum? Sed hac de causa meminit ascensus in cælum filij hominis, ut corporalem cogitationem ab eis auelleret, & posthac discerent, carnem de qua fuerat locutus, cibū è super- nis cælestem, spiritualem alimoniam ab ipso dari: Quæ enim dixi uobis (inquit) spiritus sunt & uita. Quod idem ualet ac si diceret, Quod quidē ostenditur ac datur pro mundo, dabitur alimonia ut spiritualiter hæc in unoquoque digeratur, fiatque omnibus cōseruatorium ad resurrectionem uitæ æternæ. Sic & Samaritanam Dominus abstrahens à rebus sensibilibus, spiritum appella- uit Deum, ne postea corporaliter, sed spiritualiter cogitaret de Deo. Athanasius de uerbis euā- gelij: Quicūque dixerit uerbum aduersus filium hominis, &c.

Ioan. 4.

Mat. 12.

Quæ in Græco sic habentur in Athanasio:

Ἄ γὰρ λελάληκα ἡμῖν τὸν θῆμα ὄντι καὶ ζωῆ, ἵσον τῷ εἰπεῖν, τὸ μὲν δεικνύμενον ἢ διδόμενον ἅπῃ ἐν τῷ κόσμῳ, οὐ θήσεται προ- φη, ὡς πνευματικῶς ἐν ἑκάστῳ ταύτην αἰα δίδωθαι, καὶ γίνεσθαι πᾶσι φυλακτικῶν εἰς ἀνάστασιν ζωῆς αἰωνίης.

Ea sic Oecolampadius Latinè uertit. Nam quæ locutus sum uobis spiritus sunt & uita. Quod idē est perinde ac dicat, Quod quidem ostēditur, oc- ciditur, pro mundi dabitur alimonia, ut spiritua- liter in unoquoque distribuatur, ac fiat omnibus conser-

conseruatorium in resurrectionem uitæ æternæ. Qua uersione Oecolampadius quædam addit, quædam subtrahit, omnia uerò de industria peruerse uertendo corrumpit, ut in suum sensum solito suo more trahat etiam huius sancti uiri sententiam, quæ cum Niceno cõcilio cui interfuit, de Eucharistia per omnia cõsentit. Nam ad uerum sensum sic uerti Græca debuerunt: Quæ enim locutus sum uobis, spiritus sunt & uita. Quod idem ualet, ac si diceret, Quod quidem ostenditur ac datur pro mundo, dabitur alimonia, ut spiritualiter hæc in unoquoq; concoquatur & digeratur, fiatq; omnibus conseruatorium ad resurrectionem uitæ æternæ. Verus autẽ horum uerborũ sensus hic est, Quod quidem ostenditur & datur pro mũdo, est corpus meum, quod in sacramento dabitur alimonia, ut spiritualiter hæc alimonia in unoquoq; sumente concoquatur, digeraturq; in spiritu, fiatq; omnibus sic eã digerẽtib; conseruatorium, ad resurrectionem æternæ uitæ. At ubi Oecolampadius addit, occiditur, hoc non est in Græco, quod uerò in Græco est *δοδμενον* datum est, uel datur, hoc subtrahit, & subdistinctionem quæ poni debuit post illa uerba, datur pro mũdo, tollit: & uerbũ, dabitur alimonia, ad totam sentẽtiam refert, sublato uerbo datur. Atq; infinitiuum uerbum *αιαδιδωδαι* quod cõcoqui & digeri significat, accipit pro *διδιδωδαι* quod Latinè dicitur distribui: & uertit, pro mũ-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

di dabitur alimonia, ut distributionem spiritua-
lem sacramenti ponat loco concoctionis, & di-
gestionis spiritualis, quasi uerò ascētio in cælum
& corporalis in cœna māducatio simul stare nō
possint, id quod stupido suo Nathanaëli persua-
dere conatur. Cū tamē corpus Christi quod ostē-
ditur, & datur pro mūdo, utpote iunctum diui-
nitati, spirituale corpus fuerit, detúrque in my-
sterio & sacramento, ut spiritualiter in unoquo-
que digeratur, & sit conseruatorium in resurre-
ctionem uitæ æternæ.

Interrogo utrúmne per naturę ueritatē hodie
Christus in nobis sit, an per concordiam uolun-
tatis? Si enim uerè uerbum caro factū est, & nos
uerè uerbum carnem cibo dominico sumimus,
quomodo non naturaliter manere in nobis exi-
stimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam
inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & na-
turam carnis suę ad naturam æternitatis, sub sa-
cramento nobis communicandæ carnis admis-
cuit? Hilarius de Trinitate, lib. 8.

Si uerè igitur carnem corporis nostri Christus
assumpsit, & uerè homo ille qui ex Maria natus
fuit Christus est, nōsq; uerè sub mysterio carnem
corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus,
quia pater in eo est, & ille in nobis: quomodo uo-
luntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacra-
mentum proprietas, perfectæ sacramentum sit
unitatis? Hilarius de Trinitate, lib. 8.

De ueritate carnis & sanguinis nō est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra uerè caro est, & uerè sanguis est: & hæc accepta atq; hausta id efficiūt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. An ne hoc ueritas non est? cōtingat plane his uerum non esse, qui Christum Iesum uerum esse Deum negant. Hilarius lib. 8. de Trinitate.

Vera, unica & perfecta hostia fide existimanda non specie, nec exterioris cēsenda uisu hominis, sed interioris affectu. Vnde merito cælestis confirmat autoritas: quia caro mea uerè est cibus, *Ioan. 6.* & sanguis meus uerè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem qui author est muneris, ipse est etiam testis ueritatis. Nam inuisibilis sacerdos, uisibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, uerbo suo, secreta potestate conuertit, ita dicēs: Accipite & comedite, hoc est corpus meū. Et sanctificatione repetita: Accipite, inquit, & bibite, hic est sāguis meus. Ergo ut ad nutum præcipientis Domini, repente ex nihilo substiterunt excelsa cælorum, *Gen. 1.* profunda fluctuum, uasta terrarum: ita parè potentiam in spiritualibus sacramentis uerbi præbet uirtus, & ei seruit effectus. Eusebius Emissenus in oratione de corpore & sanguine Domini, quæ est de Pascha, Homilia 5.

Sicut autem quicumque ad fidem Christi ueniens, ante uerba baptismi adhuc in uinculo est

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

ueteris debiti, his uerò memoratis, mox exiit
omni fæce peccati: ita quãdo benedicendæ uer-
bis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponũ-
tur, antequam inuocatione sui nominis conse-
crantur, substãtia illic est panis & uini, post uer-
ba autem Christi, corpus & sanguis est Christi.
Quid autem mirum est, si ea quæ uerbo potuit
creare, uerbo possit creata conuertere? Imo iam
minoris uidetur esse miraculi, si id quod de ni-
hilo agnoscitur cõdidisse, iam conditum in me-
lius ualeat commutare. Eusebius Emisenus in
eadem oratione quæ est de Pascha, Homilia. 5.

Quòd Eucharistiæ sacra perceptio nõ in quã-
titate, sed in uirtute consistat, quòd corpus Do-
mini sacerdote dispensante tantum est in exi-
guo, quantũ esse constat in toto: Quod cum Ec-
clesia fidelium sumit, sicut plenum in uniuersis,
ita integrum esse probatur in singulis. De quo
2. Cor. 8. sensu Apostolica sententia deriuata est, dicens:
Qui multum habebat non abũdauit, & qui mo-
dicum habebat, minus nõ habuit. Non enim de
communi pane accipi dictũ potest, quem si for-
tè esurientibus apponeremus, non ex toto perue-
niret ad singulos, quia particulatim & minuta-
tim pro portione sua unusquisque præsumeret.
De hoc uerò pane cum assumitur, nihil minus ha-
bent singuli quàm uniuersi, totum unus, totum
duo, totum plures sine diminutione accipiunt,
quia benedictio huius sacramenti scit distribui,
nec

nec scit distributione cōsumi. Eusebius Emissenus in oratione de corpore & sanguine Domini, quæ est de Pascha, Homilia 5.

Et communicare per singulos dies, & participare de sacro corpore & sanguine Christi pulchrum est & ualde utile, ipso manifeste dicente: Qui edit carnē meam & bibit sanguinem meū, *Ioan. 6.* habet uitam æternam. Quis enim ambigit, quin frequens uitæ participatio nihil aliud sit, quàm pluribus modis uiuere? Nos idcirco quater in singulis hebdomadis cōmunicamus: in die dominico, in quarto die hebdomadæ, in parasceue, & in sabbato, ac in aliis diebus si qua memoria fuerit sancti alicuius. Basilii ad Cæsariam Patriciam.

Attende Domine Iesu Christe Deus noster de sancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & ueni ad nos sanctificandos, qui suprà cum patre sedes, & hic inuisibiliter uersaris, & dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, & preciosum sanguinē, & per nos toti populo. Basilii in Liturgia.

Te ergo rogo qui solus bonus es, & ad exaudiendum propēsus, respice in me peccatorem & inutilem seruum tuum, & purga animam meā, & cor meum à mala cōscientia, & fac me uirtute sancti tui spiritus idoneum, ut sacerdotij gratia indutus, huic sanctæ mensæ adsistam, & sanctum & impollutum corpus tuum, & sanguinē

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

cōsecrem, & cætera. Tu enim es qui offers & offeris, & qui suscipis & impartis Christe Deus noster. *Basiliius in Liturgia.*

Fac panem quidem istum, ipsum honorificum corpus Domini Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, quod autē in calice isto, ipsum sanguinē Domini Dei, & seruatoris Dei Iesu Christi, qui effusus est p̄ mūdi uita. *Basiliius in Liturgia.*

Nos autem omnes qui ex uno pane & calice participamus, uni inuicem ad unius spiritus sancti communionem, & fac ut nemo nostrum ad iudicium, uel condemnationē sit particeps sancti corporis & sanguinis Christi tui, sed ut inueniamus misericordiā & gratiam cum omnibus sanctis, & cætera. *Basiliius in Liturgia.*

I. Cor. II. Quanto cum timore, qualīue cum animi persuasione affectionē ue corpus & sanguinē Christi cōmunicemus? *Responsio.* De timore quidem habemus Apostolū qui ait: Qui manducat & bibit indigne, iudiciū sibi manducat & bibit. Fidem autem faciunt uerba Domini, qui dixit: *LUC. 22.* Hoc est corpus meū, quod pro uobis datur: hoc facite in meam commemorationem. *Basiliius in regulis breuioribus, interrogatione 172.*

O sacrificia mittentes incruenta sacerdotes,
O animarum gloriosi custodes, O magni
Figmentum Dei in manibus uestris ferentes.
Gregorius Nazianzenus in Carminibus.
Absque confusione & dubio, comedere corpus
&

& sanguinem bibe, si saltem uitæ desiderio teneris, neque sermonibus qui de carne habentur fidem deneges, neque ob passionem offendaris: constans esto, firmus, stabilis, in nulla re propter aduersariorum sermones fluctues. Gregorius Nazianzenus in sanctum Pascha.

Cæterum iam Paschæ fiamus participes, figuratiter tamē adhuc, etsi Pascha hoc ueteri sit manifestius: siquidem Pascha legale audenter dico, figuræ figura erat obscurior, at paulo post, illo perfectius & purius fruemur, cum id ratio nostra in regno patris nouum bibet, detegēs & docens, quæ nunc mediocriter ostendit. Gregorius Nazianzenus in sanctum Pascha.

Mox incruenti sacrificij oblatione manus cōmaculat, per quod nos Christo unimur, necnon passionis ac diuinitatis eius participes reddimur, sectionibus & uictimis res stabiliens regias, malis consiliariis in malo utens principatu. In Iulianum Imperatorem oratione I.

Oportet fide, baptisate, labore, omni uirtute, omni euangelica doctrina mundos purósque animos facere, ita ut omnino alienigeni mores, & Aegyptiaca uita, uitiorū scilicet omnium turbam nos deficiat, & demum deputato defæcatóq; animo, cælestem cibum esse suscipiédum, quem nulla nobis satio agriculturæ artibus produxit. Gregorius Nissenus de uita Moyseos.

Sed panis est absque semine absque aratione,

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

absque alio humano opere nobis paratus. Is de-
super defluēs in terris inuenitur: panis enim qui
de cælo descendit, qui uerus cibus est, qui æni-
gmaticè hac historia significatur, nō incorporea
quædam res est. quo enim pacto res incorporea
corpori cibus fiet? Res uerò quæ incorporea non
est, corpus omnino est. Gregorius Nissenus de
uita Moyseos.

Quomodo ergo in his non admiranda sit sa-
pientia spiritus? nullam quippe dubietatem hu-
iusmodi intellectui dereliquit: propterea carnes
cum panibus comedi præcipiens, ut nos intelli-
geremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul
panis & caro est, sicut corpus Christi panis uiui,
qui de cælo descendit. Propter quod Helix, se-
cundum 70 editionem, carnes mane, panes au-
tem uesperis deferabant corui supernè: præfigu-
rare hoc mysterium Domino uolente, quod in-
tus oportet in Ecclesia, in loco sancto, id est, ad
altare, coqui & comedi: alibi uerò nequaquam.
Hesychius in Leuiticum, lib. 2. cap. 8.

Sed hoc quod reliquum est de carnibus & pa-
nibus in igne incendi præcepit. Quod nunc ui-
demus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, igniq;
tradi quæcunq; remanere contigerit incōsum-
pta, non omnino ea quæ uno die, uel duabus, aut
multis seruata sunt: sicut enim apparet, non hoc
legissator præcepit, sed quod reliquum est, in-
cēdi iubet. Dies autem non commemorauit, ut
quæcunq;

quæcunque, cuiuscunque rei causa emergente, remanserint incōsumpta, siue tempus in causa sit, siue quid aliud fuerit, ignis opus & consumptio fiat. Ergo ex hoc quod agitur sensibilibiter, significatio cuiusdam intelligibilis rei, eis qui intendunt, prouenit: ut quando ad comestionem sacrificij deficimus, & comedere illud integrè non possumus: mente forsan lassescēte, siue deficiente, utrum ea quæ uidentur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec angeli possunt prospicere, non relinqui, sed etiam tradi ea igni oportet spiritus, ut ea comedat quæ nobis sunt ex infirmitate inesibilia. Quomodo autē comedat, quū cogitauerimus uirtuti spiritus esse possibile, ea quæ nobis impossibilia uidentur? Hesychius in Leuiticum, lib. 2. cap. 8.

Sancta sanctorum sunt propriè Christi mysteria, quia ipsius est corpus de quo Gabriel ad Virginē dicebat: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obūbrabit tibi, ideo quod nascetur ex te sanctū, uocabitur filius Dei. Ab hoc non solū alienigenas & inquilinos & mercenarios sacrificio prohibuit, sed nec per ignorantiam percipere præcepit. Per ignorantiam autem percipit, qui uirtutem eius & dignitatē ignorat, qui nescit quia corpus hoc & sanguis, est secundum ueritatem, sed mysteria quidem percipit, nescit autem mysteriorum uirtutem. ad quem Salomon dicit, uel magis spiritus qui in eo est:

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Quando federis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ posita sunt ante te. Hesy-chius in Leuit. lib. 6. cap. 22.

Sanctificationem enim mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem siue cõmutationem, ei qui uerus est sacerdos, uidelicet Christo oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere & imputare: quia per eius uirtutem, & prolatum ab eo uerbum, quæ uidentur tã sanctificata sunt, quàm cunctũ carnis excedunt sensum. Hesy-chius in Leuiticum lib. 6. cap. 22.

Dicit enim (Origenes) spiritum sanctum non operari ea quæ inanima sunt, nec ad irrationabilia peruenire. Quod asserēs non recogitat aquas in baptisate mysticas, aduentu sancti spiritus consecrari: panemq; dominicum, quo saluatoris corpus ostenditur, & quem frangimus in sanctificationem nostri, & sacrum calicem, quæ in mensa Ecclesiæ collocantur, & utique inanima sunt, per inuocationem & aduentum sancti spiritus sanctificari. Theophilus Alexandrinus in libro Paschali 1.

Videmus enim quod accepit saluator in manus suas, ueluti euāgelium habet, quòd surrexit in cœna, & accepit hæc, & ubi gratias egisset dixit, hoc meum est, hoc & hoc. Et uidemus quòd non equale est, neque simile, nõ imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamētis membrorum: hoc enim est rotundæ formæ & insensibile,

sibile, quantum ad potentiam. Et uoluit per gratiam dicere, hoc meum est, hoc & hoc: & nemo *Mat. 26.* non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum uerum, sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audiuius, id credimus quod est ipsius. Dominum uerò nostrum nouimus totū sensum, totū sensitium, totū Deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehensibilem, sed qui cum gratia hoc nobis largitus est. Epiphanius in libro Ancoratus.

Epiphanius in eo libro Origenis allegorias quas ille de paradiso imaginabatur reprehēdēs: dona Dei per gratiam homini data fide amplectenda non curiosius perscrutāda esse docet. Sicut ubi scriptū est in Genesi de creatione hominis, quòd factus est secundum imaginem Dei. *Gen. 1.* Quomodo autē hoc sit, Deus, inquit, nouit. Nā si dicas secundum corpus: At Deus est incorporeus. Si uerò secundū animā, Paulus dicit: uiuus *Heb. 4.* sermo Dei penetrat usque ad diuisionē & animę & spiritus. At Deus est indiuisibilis. Deus nāque incomprehensibilis mente apprehendi non potest, quum spiritus sit, & super omnem spiritum, & lux super omnē lucem: quæ uerò ipse donauit his non caremus: uerus est enim qui cum gratia id quod est secundum Dei imaginē, homini largitus est. Itaque uerbis Dei omnino credendum est, non allegoriæ quæ rationi humanæ respon-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

deant quærendæ. Idq; confirmat per rem certissimam absque omni controuersia, nimirum per uerba Christi in Eucharistia, de quibus nemo fidelis Christianus unquam dubitauit, quin sine omni allegoria, & tropo simpliciter recipienda sunt: nempe illa, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus: quibus uerbis qui non credit absque ulla allegoria aut tropo, ut sunt à Christo prolata, ab omni salute & gratia excidit.

Hæc ubi dicta dedit, palmis sibi frâgere panẽ,
Diuisumq; dehinc tradit sanctumq; precatus.

Discipulis docuit propriũ se tradere corpus.

Hinc calicem sumit Dominus, uinõq; repletũ.

Sanctificat gratis uerbis potumque ministrat.

Edocuitque suum se diuisisse cruorem.

Atq; ait: Hic sanguis populi delicta remittet:

Hunc potate meum, iam ueris credite dictis.

Iuuenicus libro 4 de historia euangelica.

Necessarium est dilectissimi, mysteriorum discere miraculũ, quid tandem sit, & quare sit datum, & quæ rei utilitas. Vnum corpus sumus, & membra ex carne eius, & ex ossibus eius. Sequamur autem initiati, quæ dicuntur: ut itaque non tantum per charitatẽ hoc fiamus, uerum & re ipsa in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, uolens ostendere desiderium quod erga nos habet. Propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, ut unũ quid efficiamur tanquam

Ephe. 5.

quam corpus capiti coaptatum : ardentem enim amatum hoc est. Hoc itaque Iob insinuans dicebat de seruis, quibus erat supra modum desiderabilis, quod desiderium ostēdentes dicebāt: *Quis dederit nobis ex carnibus eius impleri?* *Iob. 31.*

Propterea quidem & Christus id fecit, in maiorem nos inducens charitatem, & suum erga nos ostendens desiderium, non tantum se præbens cupientibus uidendum, sed & palpandum & comedendum, & carni dentes infigere, & coimplicari & omne desiderium implere. Tanquam leones igitur ignem spirātes ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente reuoluentes, & charitatem, quam nobis exhibuit. Nam parentes quidem aliis sæpe filios tradunt alendos: Ego autem, inquit, non ita, sed carnibus meis alo, me ipsum uobis appono, uos omnes generosos esse uolens, & bonas uobis præ-tendens de futuris expectationes: quippe qui uobis hic me ipsum trado, multò magis in futuro: uolui esse frater uester. Carnē propter uos & sanguinem assumpsi: uobis uicissim ipsam carnem & sanguinē, per quē cognatus uester factus sum, trado. Chrysostronus Homilia 6 ad populum Antiochenum.

Hic locus Chrysostroni nimirū uel solus euincit, in Eucharistia uerum corpus & sanguinem Christi in rei ueritate esse, & non in sola figura aut nuda significatione. Præbet namque se cu-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

pietibus, inquit, non tantum uidendum, sed & palpandum & comedendum, & carni dentes infigere, & coimplicari. Præterea ait, Carnem pro uobis & sanguinem assumpsi, & uobis uicissim ipsam carnem & sanguinem, per quæ cognatus uester factus sum, uobis trado. Qua in re quid manifestius dici posset, quàm quòd illam carnem, quam de Maria matre assumpsit, ipsam nobis manducandam tradit? caro autem quam de ea assumpsit, uera in substantia caro non in sola figura fuit: igitur in substantia uerè caro ipsa, non in sola figura in Eucharistia manducanda tradita est. Alioqui si secūdum Sacramentarios in sola figura, & non in ueritate caro manducanda tradita est, secundum eos in sola figura, & nō in ueritate caro Christi nata est de uirgine Maria. Quo fit ut ueritas incarnationis Christi ab eis denegetur, sicuti affirmant perfidi Iudæi, qui Christum abnegantes, suum Messiam nasciturum adhuc expectant.

Non enim sufficit ipsi hominem fieri, flagellis interim cedi, sed nos secum in unam, ut ita dicamus, massam reducit, neque id fide solum, sed re ipsa nos corpus suū efficit. Qua igitur re mundiorum esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est? quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat, os quod igne impletur spirituali, lingua quæ cruentatur hoc admirabili sanguine?

Chry-

Chrysoſtomus in Matthæum, Homilia 83.

Vnum corpus ſumus & membra ex carne & offibus eius, quare initiati eius præceptis parere debent: ut autem nõ ſolùm per dilectionem, ſed re ipſa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt: cum enim ſuum in nos amorem indicare uellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcũ redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maxime eſt. Chryſoſtomus in Ioannem, Homilia 45.

Hoc Iob ſignificabat de ſeruis à quibus maxime amabatur, qui ſuum amorem præ ſe ferentes dicebant: *Quis daret nobis ut eius carnibus im- Iob. 31.* pleremur? quod Chriſtus fecit ut maiori nos charitate aſtringeret, & ut ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantum uideri permittẽs deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri. Chryſoſtomus in Ioãnem, Homilia 45.

An ignoras quot ex deliciis mala proueniant? riſus intempeſtiuus, uerba immodeſta & plena exitij, ſcurrilitas, garrulitas infructuoſa, & alia quæ non dicenda quidem ſunt: & hoc facis cum ad Chriſti mēſam diſcubueris, in die illa qua carnem eius lingua attingere dignatus es. Ne igitur hæc fiant, dextram tuam, linguam, labia confidera, quo pacto ueſtibulũ Chriſto facta ſunt ut ingrediatur. Chryſo. in epiſt. I. Cor. II. Hom. 27.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Igitur uestibula templi & ingressum osculamur, mutuam osculando: Nonne uidetis quod etiam uestibula templi huius osculatur, illi quidem flectentes, alij autem manu continentes, & ori manum admouentes? Per has etiam ianuas ac portas & ingressus est, & ingreditur ad nos Christus quando communicamus. Scitis qui mysteriorum estis participes quid dicatur. Etenim non uulgarem honorem consequutum est os nostrum, accipiens corpus dominicum, propter hoc maxime hic osculamur. Audiatur qui foeda loquuntur, qui concuitia proferunt, & horrescat quod tale os polluit. Chrysof. in epist. 2. Cor. 13. Hom. 29.

Si ad iuramenta & periuria ieiunatis, ut quid mihi ieiunatis? Quomodo enim sacrum uideamus pascha? quomodo sanctum suscipiemus sacrificium? quomodo mirabilibus communicabimus mysteriis lingua illa, qua Dei legem conculcauerimus, lingua illa, qua animam contaminauerimus? Si nemo nanq; purpuram regalem manibus accipere inquinatis auderet, quomodo dominicum corpus lingua polluta suscipiemus? Iuramentum enim maligni, sacrificium uero Domini. Quae igitur comunicatio luci ad tenebras: uel quae conuenientia Christo ad Belial? Chrysofomus ad populum Antiochenum, Homilia II, de gratiarum actione ad Deum.

2. Cor. 6.

Nam dum conspicias Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem,

dentem, tum uerò turbam circumfusam precioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiam ne te inter mortales uersari, atque in terra cōsistere censes? an non potius è uestigio in cælos transfereris? Chrysostronus de Sacerdotio, lib. 3.

Domine non sum dignus ut sub sordidū animæ meæ tectum ingrediaris, sed quemadmodū æqui boni consuluisti in spelunca & præsepi ratione carentum animalium recumbere, & in domo Simonis leprosi, etiam similem mihi meretricem peccatricem ad te accedentem suscepisti, ipse dignare etiam in præsepe animæ meæ rationis expertis, & in cōmaculatum meum corpus ingredi mortui & leprosi. Et sicut nō abhorruisti os sordidum meretricis, impollutos tuos pedes osculantis, ita Domine Deus meus ne me etiam peccatorem abhorrueris, sed tanquam bonus & benignus, dignare me effici participē sanctissimi tui corporis & sanguinis. Chrysostrono. in Missa.

Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiā si sensui & cognitioni nostræ absurdum esse uideatur quod dicit: superet & sensum & rationem nostrā quæso ipsius uerbum, quod in omnibus & præcipue in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed uerba quoq; eius tenentes. Nam uerbis eius defraudari nō possumus, sensus uerò noster deceptu facillimus est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur: quoniam

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

ergo ille dixit: Hoc est corpus meū, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus & oculis intellectus id perspiciamus: nihil enim sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus sensibilibus: omnia uerò quæ tradidit insensibilia sunt, & cetera. Chryso. in Matth. cap. 26. Homilia 83.

Non simpliciter minister clamat pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt. Nō diaconus est qui talem illam uocem emittit, sed spiritus, nō sanctus inquam, sed donū. Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata, adsunt angeli, adsunt archangeli, adest filius Dei, cum tāto horrore adstant omnes, adstāt illi clamantes omnibus silentibus, & putas simpliciter hæc fieri? Igitur & alia simpliciter, & quæ pro Ecclesia, & quæ pro sacerdotibus offeruntur, & quæ pro plenitudine ac ubertate? absit: sed omnia cū fide fiūt. Quid putas pro martyribus offerri, quod uocantur in illa hora, licet martyres sint, etiam pro martyribus magnus honor nominari Domino præsentem, dum mors illa perficitur, & horrendū sacrificium, & ineffabilia sacramenta? Chryso. in Actis Apostolorū, cap. 9. Hom. 21.

Hæc ergo dixerim ad eos qui sanctorū communionem & congregationē relinquunt, & sub horam terribilis mysticæ mensæ, in uaniloquentiæ conuenticulis occupati sunt. Quid facis homo? non promisisti sacerdoti qui dixit, Sursum mentem

mētem & corda, & dixisti, Habemus ad Dominum? Non reuereris & erubescis? Et illa ipsa hora mendax inueniris. Papè, mensa mysteriis instructa est, & agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, sanguis spiritualis ex sacra mensa refluit, Seraphin adstant sex alis faciem tegētia, *Esa. 6.* omnes incorporeæ uirtutes pro te cum sacerdote intercedunt, ignis spiritualis è cęlo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationē ex immaculato latere haustus est, Et non erubescis, reuereris & confunderis, neque Deum tibi propitium facis? Chrysoft. Sermone de Eucharistia.

Eóq; rogo uos omnes obsecróq; ut summo studio summáq; cum alacritate uelitis adesse, sed prius suam quisque domum repurget, ut uideamus Dominum nostrum in cunis iacentem ac fasciis inuolutum, horrendum ac stupēdum spectaculū. Quid enim excusabimus, aut quam ueniā obtinebimus, si quum ipse nostra causa descenderet è cęlis, nos ad illum uel ex ædibus ire grauemur? quum alienigenę barbarique ex Per- *Mat. 2.* fide accurrant ut illum uideant in præsepi iacen- *Luc. 2.* tem, tu uerò ne breue quidem spacium emetiri sustines, ut hoc fœlici spectaculo perfruaris: nã si cum fide accesserimus, procul dubio uidebimus illum in præsepi iacentem: siquidem hæc mensa uicem explet præsepis. Nam & hic ponitur corpus dominicum, nō quidem fasciis inuolutum sicuti tūc, sed undequaque spiritu sancto

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

conuestitum. Qui mysteriis initiati sunt intelligunt quæ dicuntur. Chrysoftomus oratione de beato Philagonio.

1. Cor. 10.

Calix benedictionis cui benedicimus, nonne cōmunicatio sanguinis Christi est? maxime his sibi uerbis & fidem facit, & horrorem. Eorū autem huiusmodi est sententia, quod est in calice, id est, quod à latere fluxit, & illius sumus participes: Calicem autem benedictionis appellauit, quoniā cum præ manibus eum habemus, cum admiratione & horrore quodā inenarrabilis domini laudamus, benedicentes quòd sanguinem effudit, ne in errore permaneremus, neque tātum effudit, sed nos omnes eius participes effecit. Chrysoftomus in epistola. 1. cap. 10. ad Corinth. Homilia 24.

Num. 9.

Ioan. 19.

Quare non dixit participatio? quia amplius quiddam significare uoluit, & multam inter hæc conuenientiam ostendere: Non enim participatione tantum & acceptione, sed unitate comunicamus. Quemadmodū enim corpus illud unitum est in Christo, ita & nos per hūc panem unione coniungimur. Sed quare addit, quē frangimus? hoc in Eucharistia uidere licet, in cruce autē minime, sed omnino contrā: Os enim eius, inquit, non conteretur, sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi permittit. Inde cum dixisset, communicacionem corporis: quod enim comunicat, alterū est

est ab illo cui communicat: etiam, quæ parua uideatur esse, differentiam tollit. Nam cum communicationem corporis dixisset, quiddam magis proprium addidit. Chrysostronus in epistola i. cap. 10. ad Corinth. Homilia 24.

Abierit peccator sane, gaudere decet peccata impedita esse, & non accumulatum malum, nitique quantum fieri potest, ut iuuetur non lachrimis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus: non est temere hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro istis agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes, sed ut his consolatio hinc aliqua fiat. Nec temere qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat, pro omnibus in Christo dormientibus, & pro his qui memoriam celebrant illorum. Chrysostronus in epistola priore in cap. 15. ad Corinthios, Homilia 41.

Volo quiddam adiciere plane mirabile, & nolite mirari neque turbemini. quid uerò istud est? Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modo quoque cõficiunt. Nihil habet ista quam illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificat homines, sed Christus qui illam antè sacrauerat. Quæadmodum enim uerba quæ locutus est Christus, eadem sunt quæ sacerdotes nunc

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

quoque pronunciant: ita & oblatio eadem est, eademq; baptismi ratio est, adeo omnia in fide consistunt. Chrysostronius in epistola Pauli ad
*nō hoc ut
opa ex du
sanctuz* Timotheum 2. cap. 1. Homilia 2.

Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius. Et una est hæc hostia & nō multæ. Quomodo una est, & nō multæ? quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorū: hoc autem sacrificium exemplar est illius, id ipsum semper offerimus. Nec nunc quidē alium agnū, crastina alium, sed semper eūdem ipsum: proinde unū est hoc sacrificiū, hac ratione. Alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? nequaquam, sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, & non multa corpora: ita etiam & unum sacrificium. Chrysostronius in epistola Pauli ad Hebræos, cap. 10. Homilia 17, cap. 9.

Noui quòd iustum illum beatum putatis, & uelletis quisque esse ut ille: quid igitur si uobis demonstrauiero quid aliud, quod illo multo maius omnes sacris mysteriis imbuti recipimus?
4. Reg. 2. Helias nēpe meloten quidē discipulo reliquit: filius autem Dei ascendens, suam nobis carnem dimisit: sed Helias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Ne igitur decidamus neque lamentemur, neque
tempo-

temporum difficultatē timeamus: qui enim sanguinem suum pro omnibus effundere non recusavit, & carnem suam, & rursus ipsum sanguinē nobis communicavit: nihil pro salute nostra recusabit. Chrysostronus ad populum Antiochenum, Homilia 2, contra auaritiam.

In omnibus itaq; Deo pareamus neq; cōtradicamus, licet cogitationibus nostris aduersari uideatur & oculis, quod dicitur: sed sit & cogitationibus & uisu dignior ipsius sermo, sic & in mysteriis agamus. Nec solum præ oculis posita respiciamus, sed ipsius uerba cōtineamus. Ipsius enim sermo infallibilis, sensus autē noster seduci facilis: ille nūquam decidit, hic autē ad plurimū errat. Quoniam igitur uerbū dicit, Hoc est *Mar. 14.* corpus meum, & pareamus & credamus, & intellectualibus ipsum oculis intueamur. Chrysostronus ad populum Antiochenum. Hom. 60. de sumentibus indignè diuina mysteria.

Non erat illa mensa tunc ex argento, nec aureus calix, ex quo sanguinē proprium Christus suis dedit discipulis: preciosa tamen erant illa omnia & tremenda, quoniā erant spiritu plena. Vis Christi corpus honorare? ne nudū eum despicias: nec eum hic quidem sericis honores uestibus, extrā uerò gelu & nuditate pereuntem contemnas: qui namque dixit, Hoc est corpus meū, & uerbo factum confirmauit, hic & dixit, Esurientem me uidistis & non pauistis me. *Mat. 25.* Chry-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Chrysoſtomus ad populum Antiochenum, Hom. 60.
de ſumentibus indignè diuina myſteria.

Quum autem ille & ſpiritum ſanctum inuo-
cauerit, ſacrificiũq; illud horrore ac reuerentia
pleniffimum perfecerit, cõmuni omnium Do-
mino manibus aſſidue pertractato: quæro ex te,
quoto illum in ordine collocabimus? quantam
autem ab eo integritatem exigemus? quãtam re-
ligionem? cõsidera enim quales manus illas ad-
ministrãtes eſſe oporteat: qualem linguam, quæ
uerba illa effundat: qua denique re non puriorẽ,
ſanctiorẽmue eſſe conueniat animam, quæ tan-
tum illum, tãmq; dignum ſpiritũ receperit. Per
id tempus & angeli ſacerdoti aſſident, & cæle-
ſtium poteſtatum uniuerſus ordo clamores ex-
citat, & locus altari uicinus in illius honorẽ qui
immolatur, angelorum choris plenus eſt. Chry-
ſoſtomus de Sacerdotio, lib. 6.

Cum enim te egredientem poſt dominicum
cõuiuium uiderit inimicus, poſt cæleſtes epulas
tanquam ignem leonis ore flammãtem, fugit &
deſerit omni uẽto uelocior, nec approximare cõ-
tendit: & cum cruentam linguam tuam de lon-
ge ille crudelis perſpexerit, mihi crede nõ ſtabit:
& cum os tuũ ſenſerit rutilare, greſſum ſuum re-
tro cũ timore torquebit. Vis huius ſanguinis au-
dire uirtutẽ? & cetera. Chryſoſt. ad Neophytos.

Gen. I.

Sicut uox illa quæ dicit: Crefcite & multipli-
camini & replete terrã, ſemel quidem dicta eſt,

ſed

sed omni tempore sentit effectum ad generatio-
nem operante natura: ita & uox illa quidem (Hoc *Mat. 26.*
est corpus meum) semel dicta est, sed per omnes
mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, &
usque ad eius aduentum, præstat sacrificio firmi-
tatem. Chrysoströmus de proditione Iudæ.

O miraculum, ô Dei benignitatem, qui cum
patre sursum sedet, in illo ipso temporis articu-
lo, omnium manibus pertractatur, ac se ipse tra-
dit uolentibus ipsum accipere ac complecti: fit
autem id nullis præstigiis, sed apertis ac circunspi-
cientibus circunsistentium omnium oculis. Num
tibi ista contemptu ac despectu digna esse uiden-
tur? Chrysoströmus de Sacerdotio, lib. 3.

Sacerdos orat Deum ut omnium hominum,
non uiuentium modo, sed etiam mortuorum pec-
catis propitius fiat, & cætera. Chrysoströmus de
Sacerdotio, lib. 6.

Vt homines ramos olearum gerentes, mouere
greges consueuerunt, & cætera: Sic angeli tunc pro
ramis oleaginis, corpus Domini ipsum protēdē-
tes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro
his Domine rogamus quos tu adeo dilexisti, ut
pro eorum salute mortem obires, animam in cru-
ce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipse
tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro
quibus corpus hoc immolasti. Chrysoströmus
Homilia 3, de incomprehensibili Dei natura.

Attende Domine Iesu Christe Deus noster, de

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

sancto habitaculo tuo, & de throno glorię regni tui, & ueni ad sanctificandum nos, qui in excelsis unà cum patre sedes, & hic nobiscum inuisibiliter ades, & dignos nos redde potenti manu tua, ut participes simus immaculati tui corporis & preciosi tui sanguinis, & per nos omnis populus. Ex Liturgia Chrysofomi: & idem habetur in Basilij Liturgia.

Ornatus sacramentorum, redemptio captiuorū est, & uerè illa sunt uasa preciosa, quę redimunt animas à morte. Ille uerus thesaurus est Domini qui operatur quod sanguis eius operatus est: tūc uas dominici sanguinis agnosco, cum in utroq; uidero redemptionē, ut calix ab hoste redimat, quod sanguis à peccato redemit. Ambrosius Officiorum, lib. 2. cap. 28.

Huic muneri proficere debuit aurum redemptoris, ut redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solum irrutilasse, uerum etiam diuinę operationis impressisse uirtutem, redemptionis munere. Ambrosius Officiorum, lib. 2. cap. 28.

Memorię nostrę puella, dudum nobilis in seculo, nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias à parētibus & propinquis, ad sacrosanctum altare cōfugit. Quò enim melius uirgo recurreret, quàm ubi sacrariū uirginitatis offertur? Ambrosius de Virginibus, lib. 1.

Stabat ad aram Dei pudoris hostia, uictima casti-

castitatis, nunc capiti dexteram sacerdotis impo-
nens, precem poscens, nunc iustæ impatiens mo-
ræ, ac summum altari subiecta uerticem. Num
melius, inquit, quàm altare uelabit, quod fan-
ctificat ipsa uelamina, frontem? plus talis decet
flammeus, in quo caput omnium Christus quo-
tidie consecratur. Ambro. de Virginibus, lib. 1.

Simul qualis esse debeat (uoluntas) quæ Chri-
sto ministrat, ostēditur. Oportet eam primò ca-
rere uariarum illecebris uoluptatū, uitare inter-
num corporis animiq; languorem, ut corpus &
sanguinē Christi ministret. Neque enim potest
quisquā peccatis suis æger, minimēq; sanus, im-
mortalium sanitatum remedia ministrare: uide
quid agas sacerdos, ne febrienti manu corpus
Christi attingas, prius curare ut ministrare pos-
sis. Ambrosius de Viduis.

Hic ergo diues est thesaurus, huius pinguis pa-
nis, quem qui manducauerit esurire nō poterit.
Hunc panem dedit Apostolis, ut diuiderent po-
pulo credentium, hodiēq; dat nobis eum, quem
ipse quotidie sacerdos consecrat suis uerbis. Hic
ergo panis factus est esca sanctorū. Ambrosius
de benedictionibus Patriarcharum, cap. 9.

Ego sum panis uiuus qui de cælo descendi. Si *Ioan. 6.*
quis māducauerit ex hoc uiuet in æternum. hoc
est, non de tēporali uita dixi suprā, nec de morte
istius uitæ, qua etiam si quis mortuus fuerit, ta-
men si panem meum acceperit, uiuet in æternū.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Ille enim accipit, qui seipsum probat, qui autem accipit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic remissio peccatorum est. Ambrosius de benedictionibus Patriarcharum, cap. 9.

Exod. 16.

Confidera nunc utrū præstantior sit panis angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est uitæ. Manna illud è cælo, hoc supra cælum: illud cæli, hoc Domini cælorū: illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum seruaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumque religiosè gustauerit, corruptionem sentire non poterit: illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo: illos ad horam satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum, & cætera. Ambrosius de iis qui in-
tiantur, cap. 9.

Exod. 17.

Forte dicas aliud uideo: quomodo tu mihi asferis quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maiorémq; uim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, proiecit eam & facta est serpens: rursus apprehendit caudam serpentis, & in uirgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam & serpentis & uirgæ, & cætera. Ambrosius de iis qui in-
tiantur, cap. 9.

Exod. 4.

Quòd si tātum ualuit humana benedictio, ut
natu-

naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa con-
secratione diuina, ubi uerba Domini saluatoris
operantur? Nam sacramentum istud quod acci-
pis Christi sermone conficitur. Quòd si tantum
ualuit sermo Helix, ut ignem de cælo depone-
ret, non ualebit Christi sermo, ut species mutet
elementorum? Ambrosius de iis qui initian-
tur, cap. 9.

Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & crea- *Psal. 148.*
ta sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo
facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in
id mutare quod non erant? Non enim minus est
nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Am-
brosius de iis qui initiantur, cap. 9.

Liquet igitur quod præter naturæ ordinẽ uir-
go generauit, & hoc quod cõficimus, corpus ex
uirgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in
Christi corpore, cùm præter naturã sit ipse Do-
minus Iesus partus ex uirgine? uera utique caro
Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: Verè
ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat *Mat. 26.*
Dominus Iesus, Hoc est corpus meũ, & cætera.
Ambrosius de iis qui mysteriis initiãtur, cap. 9.

Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus
meum. Ante benedictionẽ uerborum cælestiũ,
alia species nominatur, post cõsecrationem cor-
pus Christi significatur. Ipse dicit sanguinẽ suũ.
Ante consecrationem aliud dicitur, post conse-
crationẽ sanguis nuncupatur: & tu dicis, Amen,

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

hoc est, uerum est: quod os loquitur, mens interna fateatur, quod sermo sonat, affectus sentiat. His igitur sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus, quibus anime firmatur substantia. Ambrosius de iis qui initiantur, cap. 9.

1. Cor. 10.
In illo sacramēto Christus est, quia corpus est Christi: nō ergo corporalis esca, sed spiritualis est: unde & Apostolus de typo eius ait, Quia patres nostri escam spiritualem manducauerunt, & potum spiritualem biberūt: corpus enim Dei, corpus est spirituale: corpus Christi, corpus est diuini spiritus. Ambrosius de iis qui mysteriis initiantur, cap. 9.

Tu fortè dicis: Meus panis est usitatus, sed panis iste, panis est ante uerba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi consecratione? Ambrosius de Sacramentis, lib. 4. cap. 4.

Consecratio igitur quibus uerbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: ubi uenitur ut conficiatur uenerabile sacramētum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi: ergo sermo Christi hoc conficit sacramentū. Ambrosius de Sacramentis, lib. 1. cap. 4.

Si ergo tāta uis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant: quanto magis opera-

operatorius est ut sint quæ erāt, & in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem: Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quòd iam corpus est Christi: ipse dixit & facta sunt. Ambrosius de Sacramentis, lib. 4. cap. 4. *Psal. 148.*

Quanta enim, Domine Iesu Christe, cordis cōtritione & lachrimarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quāta corporis castitate, & animi puritate, istud diuinū & cæleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in ueritate sumitur, ubi sanguis in ueritate bibitur, ubi summa imis iunguntur, ubi adest præsentia sanctorum angelorum, ubi tu es sacerdos & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter cōstitutus? Ambrosius precatōne 1, præparante ad Missam.

Rogamus etiam te sancte pater pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus æterna ac perpetua sanitas, gaudium & refrigerium sempiternum: hoc magnum pietatis sacramentū, Domine Deus meus, sit illis hodie magnum & plenū gaudium de te pane uiuo & uero, qui de cælo descendisti & das uitam mūdo, de carne sancta & benedicta, agni uidelicet immaculati, qui tollis peccatum mundi. Ambrosius precatōne 1, præparante ad Missam. *Ioan. 6.*

Peto Domine clementiam tuam ut descēdat *Ioan. 1.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

super hunc panem & calicem istum, plenitudo diuinitatis tuæ. Descendat etiã Domine illa sancti spiritus tui inuisibilis forma, & incõprehensibilis maiestas, sicut quondã in patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat, & me indignũ sacerdotem tuum doceat tãtum tractare mysterium, ita ut placide ac benigne sacrificium suscipias de manibus meis, ad salutem omnium tam uiuorũ quàm defunctorum. Ambrosius precatone 1, præparante ad Missam.

Vidimus principem sacerdotũ ad nos uenientem, uidimus & audiuius offerentem pro nobis sanguinem suum, sequamur ut possumus sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificiũ, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio, quia etsi nũc Christus nõ uidetur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Imo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. Ambrosius in Psal. 38.

Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, imò præbeat se uidẽdum. Non enim dubites assistere angelum quãdo Christus assistit, Christus immolatur: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Nec uerearis ne turbetur cor tuum angeli uisione. Ambrosius super Lucam, lib. 1. cap. 1. de angeli apparitione.

Sed sacerdos (scilicet Christus est) propter carnem quam assumpsit, aut propter uictimam quam pro nobis offerebat à nobis susceptam, id est, carnem & sanguinem, de qua uictima ipse in Euāgelio ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Sed in ista carne & sanguine nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat: ne sicut dicit Apostolus, Qui enim corpus Domini indignè māducat, iudicium sibi manducat. Sed uiuificatricem substantiam, atq; salutarem, in pane & uino, per quæ si dignè sumitur, nobis est peccatorum remissio, & regni possessio Dei collata. Ambrosius in epistola ad Hebræos, cap. 5.

Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius: & una est hæc hostia, non multæ. Quomodo una est & nō multæ? quia semel oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar illius est, quem semper offerimus: nec nunc quidem, alium agnum cras, alium hodie, sed semper id ipsum: proinde unum est hoc sacrificium. Ambrosius in epistola ad Hebræos, cap. 10.

Proinde unum est hoc sacrificium. Alioquin hac ratione, quoniā multis in locis offertur, multi Christi sunt: nequaquam, sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus,

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

unum corpus . Sicut enim qui ubiq; offert, unū corpus est, & non multa corpora : ita etiā & unū sacrificium. Ambrosius in epist. ad Hebræos, cap. 10.

1. Cor. II. Pontifex enim noster ille est, qui hostiā mundantē nos obtulit, ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidē consumi non potest : hoc autem quod nos facimus, in cōmemorationem fit eius quod factum est . Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem . Non aliud sacrificium sicut pontifex, sed id ipsum semper offerimus, magis autem recordationem sacrificij operamur. Ambrosius in epist. ad Hebræos, cap. 10.

Et huic adhuc intercessionem ascisco, cui remunerationem præsumo. Date manibus sancta mysteria, pio requiem eius poscamus affectu. Date sacramenta, cælestia mysteria, animā piā matris oblationibus prosequamur. Ambrosius de obitu Valentiniani Imperatoris.

Nec ego floribus tumulum eius aspergam, sed spiritum eius Christo odore perfundam . Spargāt alij plenis lilia calathis, nobis lilium est Christus: hoc reliquias eius sacrabo, hoc eius gratiam commendabo. Ambrosius de obitu Valentiniani Imperatoris.

Recordare, quanuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamen ignis, frigiditatis suæ oblita, æstuat . Hoc sane modo etiā nos, quanuis propter naturā carnis corruptibiles simus, participatione

patione tamen uitæ, ab imbecillitate nostra reuocati, ad proprietatem illius ad uitam reformamur. Oportuit enim certe, ut non solum anima per spiritum sanctum in beatam uitam ascenderet: uerum etiam ut rude atque terrestre hoc corpus, cognato sibi gustu, tactu & cibo ad immortalitatem reduceretur. Cyrillus in Ioannem, libro 4, cap. 14.

Qui manducat, inquit, carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicuti enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: ita si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungatur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Cyrillus in Ioannem, lib. 4. cap. 17. *Ioan. 6.*

Verum quoniam nulla nos ratione, humanitati Christi posse ista attribuere arbitratur, quoniã fide atque dilectione, non carne, illi coniungimur, age pauca de hoc dicamus, ac peruerse ab eo sacrarum literarum sensum exponi ostendamus. Non tamen negamus recta nos fide, charitatẽq; sincera, Christo spiritualiter cõiungi: sed nullam nobis coniunctionis rationem, secundũ carnem cum illo esse, id profecto pernegamus. Cyrillus in Ioannem, lib. 10, cap. 13.

Quemadmodum si quis igne liquefactã ceram, aliã cerã similiter liquefactã ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum uideatur: sic

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Nō poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem, & uitam traduci, nisi naturalis uitæ corpus ei coniungeretur. Cyrillus in Ioannem, lib. 10.

Non mihi hæc dicenti, Christo te obsecro fidem præbe. Amen amen, inquit, dico uobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinē, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Audis aperte clamātem, non habituros nos uitam, nisi sanguinē eius biberimus, & carnem manducauerimus. In uobis autem ipsis dicit, id est in corpore uestro. Vita autem, iure ipsa uitæ caro intelligi potest: hæc enim nos in nouissimo die suscitatur. Cyrillus in Ioannem, lib. 10. cap. 13.

Caro uitæ facta unigeniti caro, ad uirtutem uitæ traducta est: Non potest igitur morte superari: propterea in nobis facta, interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea unigenitus filius Dei: unde quia unus est cum carne sua, ego inquit, suscitabo eum. Cyrillus in Ioannem, lib. 10. cap. 13.

Vt igitur inter nos & Deum singulos uniret, quanuis corpore simul & anima distemus: modum tamē adinuenit, cōsilio patris & sapientiæ suæ

suæ congruentem : suo enim corpore credentes, per communionem mysticam benedicēs, & secum & inter nos, unum nos corpus efficit. Quis enim eos qui unius sancti corporis unione in uno Christo uniti sunt, ab hac naturali unione alienos putabit? Nam si omnes unum panē manducamus, unum omnes corpus efficimur. Diuidi enim atque seiungi Christus non patitur. Cyrillus in Ioannem, lib. II. cap. 26.

Idcirco etiā Ecclesia corpus Christi facta est, & nos singuli membra Christi, secundum Paulum: Vni enim Christo per corpus suum coniuncti, quoniam in nobis illum qui est indiuisibilis accepimus, ipsi potius quàm nobis membra nostra accommodantur. Cyrillus in Ioannem, libro II. cap. 26. *Ephe. 5.*

Quòd autem corporalis hæc unio ad Christū, participatione carnis eius acquiritur, ipse rursus Paulus de mysterio pietatis differens testatur: *Ephe. 3.* Quod aliis, inquit, generationibus nō est agnitū filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & prophetis in spiritu, esse gentes cohæredes & concorpores, & cōparticipes promissionis in Christo. Si autem omnes inter nos, in Christo unum sumus corpus, nec inter nos solum, uerum etiam cum eo qui per carnem suam ad nos transiuit, quomodo uniuersi & inter nos, & in Christo non unum erimus? Cyrillus in Ioannem, lib. II. cap. 26.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Nexus igitur unionis nostræ ad Deum patrem Christus est, nobis quidem ut homo, Deo patri ut Deus, naturaliter unitus. Non erat enim possibile, corruptioni subiectam hominis naturam ad immortalitatem conscendere, nisi natura immortalis atque incōmutabilis ad eam descēdisset, ac communione participationeq; sui, à mortalitatis nostræ terminis, ad suum bonum reformatos eleuaret. Cyrillus in Ioannē, lib. ii. cap. 27.

Ioan. 19.

In quatuor partes uestimēta diuisa sunt, & tunica solum indiuisa remansit, quod mysticæ cuiusdam rei signum fuisse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutē reducti, indumentum uerbi, id est carnē eius, impartibiliter inter se partiti sunt. In singulos enim partibiliter transiens unigenitus, & animam & corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atque integrè in omnibus est, quum unus ubique sit, nullo modo diuisus, sicut Paulus ait. Cyrillus in Ioannem, lib. 12. cap. 32.

Ioan. 6.

Ego sum, inquit, panis qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane uiuet in æternum, & panis quē ego dabo caro mea est, & cætera. Quanuis uerum sit dicere, quod non descēderit quidem de cælis caro, sed fuerit ex Virgine secundum scripturas: Non est autem esibile uerbum, sed in unum ambo colligens, secundum dispensatiuam unionem, naturarum proprietates innumeris à nobis uidentur rationibus. Cyrillus

rillus ad Theodosium, de recta fide.

Libenter quærerem ex his, qui unum diuidunt in duos Christos, uter sit qui missus à Deo & patre, & uiuēs propter illum, existatq; propter hoc uiuificus? Nam siquidem nudum, & secundum seipsum uerbū quod ex ipso, quomodo manducatur à nobis, ut uiuamus propter ipsum? Deus enim natura incorporeus est. Si autem solum, & secundum ipsum hominem esse dicunt missum, quomodo igitur est uiuificus, qui uiuit propter patrem? Cyrillus ad Reginas, de recta fide.

Non enim quia diuinitatis nō comeditur natura, propterea sanctum corpus Christi, commune esse cuilibet affirmat. Scire autem necessariū est, quia sicuti prædiximus, proprium est corpus omnia uiuificantis uerbi, quoniam uerò est corpus uitæ, uiuificans est. Per ipsum nāque mortalibus nostris corporibus uitā largitur, ut etiam destruat mortis imperium, uiuificat quoq; nos æquo modo sanctus spiritus Christi: Spiritus est *Ioan. 6.* qui uiuificat, secundum ipsius saluatoris uocem. *Oppositio Cyrilli super Canonem II, Concilij Ephesini.*

Qui uerò ad me uenit nunquā esuriet, & qui *Ioan. 6.* in me credit, nunquam sitiet. Quid igitur Christus pollicetur? Quid credētibus affert? corruptibile certè nullum, sed benedictionem quam cōmunicatione corporis atque sanguinis Christi, assequimur. unde ad eam incorruptionem, inte-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

grè reducemur, ut cibo & potu corporali nō indigeamus: uiuificat enim corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Nō enim alterius cuiusdam, sed ipsius uitæ corpus est, uirtutem incarnati uerbi retinens, & plenum potestate illius, quo uniuersa & uiuunt & sunt. Cyrillus in Ioannem, lib. 3. cap. 37.

Quare qui carnem Christi manducat, uitam habet æternam: habet enim hæc caro Dei uerbum, quod naturaliter uita est: propterea dicit, Quia ego resuscitabo eū in nouissimo die. Ego enim dixit, id est, corpus meum quod comedetur, resuscitabo eū. Nō enim alius ipse est quàm caro sua: non id dico, quia natura nō sit alius, sed quia post incarnationem, in duos se diuidi filios minime patitur. Ego igitur, inquit, qui homo factus sum, per meam carnē in nouissimo die comedentes resuscitabo. Cyrillus in Ioannem, libro 4. cap. 15.

Nec panis erat ex Deo, quem maiores Iudeorum comederunt & mortui sunt. Nam si de cælo & ex Deo fuisset, liberasset à morte participantes: cōtrà uerò corpus Christi, panis de cælo est, quia æternam comedentibus uitam largitur. Cyrillus in Ioannem, lib. 4. cap. 19.

Christus enim mensa est in qua panes depositi sunt, quibus omnes participatione corporis sui, ad uitam æternam alūtur. Ego enim, ait, sum panis qui de cælo descēdi, & uitam æternam do mundo:

Ioan. 6.

Ioan. 6.

mundo: si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Mensæ igitur propositio, id est panes, sanctissimum Christi corpus (quo ad uitam æternam omnes aluntur) prorsus significat. Cyrillus in Ioannem, libro 4. cap. 24.

Sicut uirtus sanctissimæ Christi carnis, unū corpus facit participātes, eodem arbitror pacto, in quibus indiuisibilis Dei spiritus habitauit, eos omnes ad unitatē spiritualem cōducit. Ideo rursus Paulus nobis scripsit: Supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis: unum corpus & unus spiritus sicut & uocati estis, in una spe uocationis uestræ, & cætera. Cyrillus in Ioannē, lib. II. ca. 26.

Operamini, inquit, non cibum qui perit, sed cibum manentem in uitam æternam, quem filius hominis nobis dabit. Hūc enim pater signauit, dicens, Cibū nobis dedit filius hominis manentem in uitam æternā, suam scilicet carnem, quæ est uiuifica. Iam quomodo non Deus uiuificare ualēs, & per suam carnem assimilatus per omnia Deo, & patri? Cyrillus ad Reginas, de recta fide.

Oportebat igitur fidei primum radices in animo iacere, deinde illa querere, quæ homini querenda sunt. Illi uerò antequam crederent, impertune quærebant. Hac igitur de causa, Dominus quomodo id fieri possit nō enodauit, sed fide id

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Mat. 26. quærendum hortatur: sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Calicem etiã similiter circumtulit dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorũ. Perfpicis quia sine fide quærentibus, mysterij modum nequam explanauit, credentibus autem, etiam nõ quærentibus exposuit. Cyrillus in Ioannem, libro 4, cap. 14.

Ioan. 6. Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Distinguit rursus inter mysticam benedictionem & manna, & aquarum fluentia ex lapide, & calicis sancti cõmunicationem. Ita iterum eadem repetit, ne magis mannæ miraculum admirẽtur, sed ipsum potius suscipiant qui cælestis panis est, & uitæ æternæ largitor. Cyrillus in Ioannem, lib. 4, cap. 16.

Ioan. 6. Nam quum audissent, Amen amen dico uobis, nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis, ad immanes ferarum mores uocari se à Christo arbitrabantur, incitarĩq; ut uellent crudas hominis carnes manducare, & sanguinẽ biberere, quæ uel auditu horribilia sunt. Nondum enim mysterij huius formam, & dispensationem pulcherrimam cognouerant. Cyrillus in Ioannem, lib. 4, cap. 22.

Non credis mihi hæc dicenti, Christo te obsecro,

cro, fidem præbe: Amen amē, inquit, dico uobis, *Ioan. 6.*
 nisi manducaueritis carnem filij hominis & bi-
 beritis sanguinem eius, non habebitis uitā in uo-
 bis: qui manducat carnē meam, & bibit sangui-
 nem meum, habet uitam æternam, & ego susci-
 tabo eum in nouissimo die. Audis aperte clamā-
 tem non habituros nos uitam, nisi sanguinē eius
 biberimus & carnem manducauerimus. In uo-
 bis autem ipsis dicit, id est in corpore uestro: ui-
 ta autem iure ipsa uitæ caro intelligi potest: hæc
 enim nos in nouissimo die suscitatur. Cyrillus in
 Ioannem, lib. 10, cap. 13.

Nam quum oporteret eos, qui diuinam uirtu-
 tem saluatoris ac potestatem, signorum miracu-
 lo perceperunt, sermonem eius libenter suscipe-
 re, & si qua difficilia uidebantur, eorum solutio-
 nem quærere, cōtrā omnino faciunt: & quomo- *Ioan. 6.*
 do potest hic carnem suam nobis dare? de Deo
 non sine magna impietate conclamant, nec in
 mentem uenit nihil esse impossibile apud Deū.
 Nam quum animales essent (ut ait Paulus) spiri- *Mat. 19.*
 tualia intelligere non poterant: sed fatuitas quæ- *1. Cor. 2.*
 dam tam magnum sibi uidetur mysterium. Sed
 nos magnum quæso à peccatis aliorum profe-
 ctum faciamus, & firmam fidem mysteriis adhi-
 bentes, nūquam in tam sublimibus rebus, illud,
quomodo, aut cogitemus aut proferamus: Iu-
 daicum enim hoc uerbum est, & extremi suppli-
 cij causa. Cyrillus in Ioannem, lib. 4, cap. 13.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Nonne uides quid sæpenumero mechanici faciunt? incredibilia nobis uidentur nonnunquam enarrare: sed tamen quia similia ipsos fecisse uidimus, posse peragi ab ipsis facile credimus. Quomodo igitur summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, ut (quomodo) in operibus suis dicere audeant, quem totius sapientiae largitorem esse non ignorant, quem omnia posse scriptura nos docuit? Si uero tu o Iudæe (quomodo) etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoque sequutus, libenter quomodo ex Aegypto exiisti rogabo: quomodo in serpentem Mosaica fuit uirga conuersa? quomodo lepra manus affecta, uno momento temporis in pristinum statum restituta iterum fuit? quomodo in naturam sanguinis aquae transierunt? quomodo patres tui per media maria, ut per aridam effugerunt? quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? quomodo è lapide fontes aquarum fluebant? quomodo stetit Iordanis? quomodo solo clamore, inexpugnabilis Hiericho cecidit. Innumerabilia sunt, in quibus si (quomodo) quaeris, uniuersam euertere tibi scripturam necesse erit, Prophetarum doctrinam & ipsius Moysis scripta contemnenti. Quare credidisse Christo potius nos oportuit, & si quid arduum uidebatur, ab eo humiliter petere, quam ueluti temulentos exclamare: Quomodo potest hic nobis suam carnem

nem

nem dare? Nonne uidetis, quia quum hæc dicatis, statim cum ista uoce arrogãtia magna significatur? Cyrillus in Ioannem, lib. 4. cap. 13.

Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Non enim possunt cum sanctificatione, beatæ uitæ fieri participes, qui per mysticam benedictionem, Iesum non susceperunt: uita enim secundũ naturã ille est, qui ex uiuo patre genitus est. Sed non minus corpus quoque suum uiuificat, coniunctum enim ineffabiliter est filio Dei, à quo uniuersa uiuificantur. Idcirco corpus suum dicitur, & unus cum eo est. Nempe post incarnationẽ unus est, & unus manet absque diuisione ulla, præterquam quòd Dei patris uerbum, & templum à uirgine sumptum, idem natura non sunt. Non enim est eiusdem substantiæ uerbo Dei, homo assumptus: unus tamen cum illo est, coniunctione ineffabili. Quoniam igitur Saluatoris caro uerbo Dei, quod naturaliter uita est, coniuncta, uiuifica effecta est: quando eam comedimus, tunc uitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ uita effecta est. Hac *Mar. 5.* de causa in exuscitãdis mortuis, non solũmodo uerbo, atque imperio, ut Deus utebatur: uerum etiã carnẽ suam quasi cooperatricẽ nonnunquã adhibebat: ut re ipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi cõiuncta est, uiuificam esse, atque fideles doceret, suum, non alterius corpus

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

esse. Cyrillus in Ioannem, libro 4. cap. 14.

Quare qui carnem Christi manducat, uitam habet æternam: habet enim hæc caro Dei, uerbū quod naturaliter uita est, propterea dicit: Quia resuscitabo eum in nouissimo die. Ego enim dixit, id est corpus meum quod comeditur, resuscitabo eum. Nō enim alius ipse est quàm caro sua: nō id dico, quia natura nō sit alius, sed quia post incarnationem, in duos se diuidi filios minime patitur. Ego igitur, inquit, qui homo factus sum, per meam carnem, in nouissimo die comedētes resuscitabo. Nempe impossibile omnino est, ne interitus & mors ab eo qui naturaliter uita est, superetur: propterea quanuis mors, quæ propter peccatum nostrum in naturam nostram infiliit, corpus humanum ad corruptionem impellat, tamen quia filius Dei homo factus est, omnes profecto resurgemus. Nō enim potest natura nostra uitæ coniuncta, non uiuificari. Et quemadmodum si quis scintillā ignis in fœno aut palea occultauerit, totum inde ignitū necessario fiet: sic uerbum Dei tanquam scintilla in naturam nostram immissum, totam inde inflammauit, atq; ad uitā interitu penitus destructo reduxit. Cyrillus in Ioannem, lib. 4. cap. 15.

Sicuti enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum cōmisceat necesse est: si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungatur, ut
Christus

Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Simile quodammodo apud Matthæum compe-
ries: Simile est, inquit, regnum cælorum ferme-
to, quod acceptum abscondit mulier in farinae sa-
tis tribus. Quid igitur foemina sit, & quæ satorū
trinitas, aut omnino fatum quid sit, loco suo di-
cetur: nunc autem de fermento solum dicamus.
Sicut parum (ut Paulus ait) fermenti totam mas- 1. Cor. 5.
sam fermentat: sic paruula benedictio, totum ho-
minē in seipsum attrahit, & sua gratia replet: &
hoc modo in nobis Christus manet, & nos in
Christo. Cyrillus in Ioannem, lib. 4. cap. 17.

Quemadmodum igitur (inquit) homo factus
sum uoluntate patris, qui è naturali uita emana-
ui, & homo factus uiuo, corpúsq; meum uita re-
pleui, non aliter qui carnem meam manducat,
propter me uiuet. Mortalē enim carnē assumpsi:
sed quia naturaliter uita existens habito in ipsa,
totam ad uitā meam reformauit. Non enim sum
uictus interitu carnis, sed ut Deus, omnē interi-
tum & mortem ipse superauit. Ut igitur (nō enim
grauabor iterum dicere) quanuis me pater mi-
sit, id est homo factus sum, uiuo tamen propter
patrem, id est genitoris naturam ad unguem cō-
feruo: sic qui manducatione carnis meæ me re-
cipiet, uiuet profecto totus ad me reformatus,
qui uiuificare possum, quoniam ex uiuo patre
sum. A patre autem se carnem factum esse affir-
mat, cum scriptum sit, Spiritus sanctus superue- Luc. 1.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

niet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ut
rurfus intelligas, quia una patris & filij & spiri-
tus sancti natura sit, ideo non esse diuifas opera-
tiones: sed quod ab una persona factum dicitur,
id opus trinitatis totius est. Cyrillus in Ioannē,
libro 4. cap. 18.

Coloff. 2. Corpus enim est, nō cuiusuis hominis, cuius
caro prodesse quicquam non potest: non enim
Pauli aut Petri, aut cæterorum, sed ipsius uitæ &
Saluatoris nostri Iesu Christi corpus, in quo dei-
tatis plenitudo corporaliter habitat, facere hæc
potest. Nam si mel, quum naturaliter dulce sit,
ea dulcia facit quibus immiscetur, nonne stultū
erit uiuificam uerbi naturam putare, non dedif-
se homini in quo habitat, uiuificandi uirtutem?
Quas ob res caro quidem cæterorum omnium
quicquā uerè nō prodest: caro autē Christi, quia
in ipsa unigenitus Dei filius habitat, sola uiuifi-
care potest. Spiritū uerò seipsum appellat, quo-
niā Deus spiritus est: & ut ait Paulus; Dominus
spiritus est. Nec ista dicimus, quia spiritum san-
ctum in propria persona subsistere nō putemus,
sed quia sicut factus homo, filium se hominis ap-
pellat, sic se à proprio spiritu spiritum nominat:
Non est enim alienus ab eo spiritus suus. Cyril-
lus in Ioannem, lib. 4. cap. 23.

Spiritum enim hic ipsam carnē nuncupauit,
non quia naturā carnis amiserit, & in spiritum
mutata sit: sed quia summè cum eo coniuncta,
totam

totam uiuificandi uim hausit. Nec turbari propter hoc decet, nam qui Domino cōglutinatur, unus cum eo spiritus est: quomodo igitur caro sua, una cū eo non appellabitur? Huiusmodi ergo est quod dicitur: Putatis, inquit, me dixisse uiuificum natura sui terrestre hoc esse corpus? Ego uerò de spiritu, & de uita æterna loquutus sum: non enim natura carnis uiuificū reddit spiritum, sed spiritus uirtus uiuificam carnem efficit. Cyrillus in Ioannem, lib. 4. cap. 24.

Nam ipsum etiam Domini corpus coniuncti uirtute uerbi sanctificatur, & ad benedictionem mysticam a deo actiuum fit, ut possit sanctificationem nobis suam immittere. Vnde ipse quoq; Saluator quum ad Iudeos multa de carne sua differeret, ac uiuificum uerè panem eam appellaret: Panis enim, inquit, quē ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Stupentibus illis, & quomodo id fieri possit dubitātibus, dicebat: Spiritus est qui uiuificat, caro nihil prodest. Verba quę ego loquutus sum uobis, spiritus sunt & uita. Aperte nanque hic ad sanctificandum, uiuificandūmq; nihil prodesse carnem ostendit, in quantū scilicet nature humane caro est: quum igitur deitati seruatio attribuatur, Non debetis, inquit, carnis præsentiam propter hoc desiderare. Cyrillus in Ioannem, lib. II. cap. 22.

Vt igitur inter nos & Deum singulos uniret, quanuis corpore simul & anima distemus, mo-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

dum tamen adinuenit, consilio patris & sapientia suæ congruentem: suo enim corpore credentes, per communionem mysticam benedicēs, & secum, & inter nos, unū nos corpus efficit. Quis enim eos, qui unius sancti corporis unione in uno Christo uniti sunt, ab hac naturali unione alienos putabit? Nam si omnes unum panē manducamus, unum omnes corpus efficimur: Diuidi enim atque seiungi Christus non patitur. Idcirco etiam Ecclesia corpus Christi facta est, & nos singuli membra Christi, secū dum Paulum. Cyrillus in Ioannem, lib. II. cap. 26.

Ephe. 5.

Viuificat quidem nos ut Deus, ueruntamen non in solo hoc quòd particeps est spiritus sancti, sed & manducabilem apponens assumptam carnem filij hominis, dicebat enim: Amen amē dico uobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Cyrillus ad Theodosium, de recta fide.

Hominis caro, quantum attinet ad propriam naturā, non esset uiuifica, sed neque sanguis humanus, si communis esset, & per se: uiuificat autem corpus Christi & sanguis preciosus. Nā posse uiuificare id quod uitæ indigum est, soli Deo conuenit: Deus igitur Christus: sic enim erit uiuificum corpus Christi. Si autē homo seorsum intelligeretur, Christi appellationem uenerabilē assequutus, & nudam filij personam gerēs, quomodo

modo esset uiuificū corpus eius? Cyrillus ad Re-
ginas, de recta fide ex epistola ad Corint. priore.

Sanctū ac uiuificum incruentūmq; in Eccle-
siis celebramus sacrificium, nō hominis alicuius
nobis similis & communis corpus: consimiliter
& preciosum sanguinem esse, quod proponitur
credentes, sed magis tanquam proprium uiuifi-
cantis uerbi corpus & sanguinē accipimus. Cō-
munis enim caro uiuificare non potest. Et hoc
ipse Seruator testatur, dicens, Caro non prodest *Ioan. 6.*
quicquam, spiritus est qui uiuificat. Quoniam
enim uerbi facta est propria, ob eam causam in-
telligitur, & est uiuifica, sicut Seruator dicit, Si-
cut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter pa-
trem, & qui manducat me, etiam ille uiuet pro-
pter me. Declaratio Cyrilli super Canonem II.
Concilii Ephesini.

Nec dubites an hoc uerum sit, eo manifestè di *Mat. 26.*
cēte, Hoc est corpus meū, sed potius suscipe uer-
ba Saluatoris in fide. Cum enim fit ueritas, non
mentitur. Infaniunt igitur dicētes mysticam be-
nedictionem à sanctificatione cessare, si quæ re-
liquiæ remanserint eius in diem subsequentem:
Non enim mutabitur sacrosanctū corpus Chri-
sti, sed uirtus benedictionis & uiuificatiua gra-
tia, iugis in eo est. Virtus enim uiuificatiua Dei
patris, unigenitū uerbum est, quod caro factum
est, non desinens esse uerbum, sed efficiens carnē
uiuificatiuam. Si enim in aliquo liquore modi-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

cum panis immiseris, reperies hunc imbibitū
qualitate illius. Igitur uiuificatiuum Dei uerbū
uniens seipsum propriæ carni, fecit eam uiuifi-
catiua. Nunquid ergo & quoniam in nobis uita
Dei est, Dei uerbo existēte in nobis uiuificatiuū
erit nostrū corpus? Sed aliud est secundum par-
ticipationis habitudinē nos habere in nobis Dei
filium: aliud ipsum fuisse factum carnem, id est,
corpus sumptū ex alma Virgine: proprium cor-
pus effecisse. Decebat ergo eum nostris quodam-
modo uniri corporibus, per sacram eius carnem
& preciosum sanguinē, quæ accipimus in bene-
dictione uiuificatiua, in pane & uino. Ne enim
horreremus carnem & sanguinē apposita sacris
altaribus, condescendens Deus nostris fragilita-
tibus, influit oblatis uim uitæ, conuertens ea in
ueritatem propriæ carnis, ut corpus uitæ quasi
quoddam semen uiuificatiuū inueniatur in no-
bis, unde subdit: Hoc facite in meam comme-
morationem. Cyrillus ad Calosyrium.

LUC. 22.

1. Cor. 7.

Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex cōsen-
su ad tempus, ut uacetis orationi. Oro te quale
illud bonum est quod orare prohibet? quod cor-
pus Christi accipi non permittit? Hieronymus
aduersus Iouinianum, lib. 1.

Si per coitum quod minus est impeditur, id
est orare: quanto magis quod plus est, id est cor-
pus Christi prohibetur accipere? Hieronymus
aduersus Iouinianum Apologia.

An

An idcirco arguor, quòd de meo ausus sum adiicere, quale illud bonũ est quod corpus Christi accipere nõ permittit? Ad hoc breuiter respõdebo: quid est maius? orare, an corpus Christi accipere? utique accipere corpus Christi. Si per coitum quod minus est impeditur, multò magis quod maius est. Hieronymus Apologia aduersus Iouinianum.

Panem nostrum quotidianũ, siue super omnes substantias, uenturum Apostoli deprecãtur, ut digni sint assumptione corporis Christi: Et uos per nimiam sanctitatem securãmq; iustitiã audacter uobis cœlestia dona uendicatis. Hieronymus aduersus Pelagianos, lib. 3. *Mat. 6.*

Et afferte uitulum faginatam, & occidite & manducemus & epulemur, quoniam hic filius meus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est. Vitulus faginatus qui ad pœnitentię immolatur salutẽ, ipse Saluator est, cuius quotidie carne pascimur, cruore potamur. Hieronymus ad Damasum, de filio prodigo. *Luc. 15.*

Nos autem audiamus panẽ quem fregit Dominus dedítq; discipulis suis, esse corpus Domini Saluatoris, ipso dicente ad eos, Accipite & comedite, hoc est corpus meum: & calicem illum esse, de quo iterum locutus est, Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui testamẽti, qui pro multis effundetur, & cœtera. Iste est calix de quo in Propheta legimus, Calicem salutaris accipiã. *Psal. 113.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Psal. 22.

Et alibi: Calix tuus inebriās quàm præclarus est. Hieronymus ad Hedibiam quæstione 2.

Si ergo panis qui de cælo descendit, corpus est Domini, & uinū quod discipulis dedit, sanguis illius est noui testamenti, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum: Iudaicas fabulas repellamus, & ascēdamus cum Domino cœnaculum magnum, stratum, atque mundatum: & accipiamus ab eo sursum calicem noui testamenti, ibiq; cum eo Pascha celebrantes, inebriemur ab eo uino sobrietatis. Hieronymus ad Hedibiam quæstione 2.

Ioan. 6.

Non Moyse dedit nobis panem uerum, sed Dominus Iesus, ipse conuiuia & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur: illius bibimus sanguinē, & sine ipso potare nō possumus, & quotidie in sacrificiis eius de genimine uitis ueræ & uinæ Sorec, quæ interpretatur electa: rubentia musta calcamus, & nouum ex his uinum bibimus de regno patris, & cætera. Hieronymus ad Hedibiam quæstione 2.

Psal. 109.

Quod autem ait, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: mysterium nostrum in uerbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus uictimis immolandis, sed oblato pane & uino, id est, corpore & sanguine Domini Iesu. Hieronymus quæstionibus in Genesim.

Et arbitrati sunt iugum meum leue, esse grauissimum,

uissimum, & declinaui ad eos deserēs regna cælorū: ut cum eis uescerer, assumpta forma hominis, siue dedi eis esum corporis mei, ipse & cibus & conuiuia. Hieronymus in Ose, lib. 3. cap. 11.

Moyfes quadraginta diebus ieiunauit in monte Sina: & Helias fugiens Iezabel, & Dei desuper ira pendente, quadraginta dies ieiunasse describitur. Ipse quoque Dominus uerus Iona missus ad prædicationem mundi, ieiunauit quadraginta dies: & hereditatē nobis ieiunij derelinquens, ad esum corporis sui sub hoc numero, nostras animas præparat. Hieronymus in Ionam, cap. 3.

Polluimus panem, id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & fordidi mundum sanguinē bibimus, & dicimus, mensa Domini despecta est, non quòd hoc aliquis audeat dicere, & quod impie cogitat scelerata uoce proferre, sed opera peccatorum despiciunt mensam Dei. Hieronymus in Malachiam, cap. 1.

Bonum est itaque ueros cibos & ueram sumere potionem, quos de agni carne & sanguine, in diuinis uoluminibus inuenimus. Hieronymus in Ecclesiasten, cap. 2.

Qui simul mecum dulces capiebas cibos) Cū mandatis uitæ, & uoluntate patris plerunque re-
fectus es: cibus enim dulcis est, patris facere uoluntatem, ut illud, Qui intingit mecum manum in paropside, leuabit contra me calcaneum suū: Vel cibus dulcis, id est, corpus & sanguis Chri-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

sti, quod ipse accepit indignus. Hieronymus in Psal. 54.

Pane cæli saturavit eos) sicut enim illi de cælis fluente manna refecti sunt, ita nos hodie in Ecclesia corpore agni accepto reficimur. Hieronymus in Psal. 105.

Hoc solum dicamus, quare dixerit secundum ordinem: Secundum ordinem, nequaquã sacerdos eris secundum uictimas Iudaicas, sed eris sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quomodo enim Melchisedech rex Salem, obtulit panem & uinum: sic & tu offeres corpus tuum & sanguinem, uerum panem & uerum uinum. Iste Melchisedech, ista mysteria quę habemus, dedit nobis. Ipse qui dixit, Qui manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum: secundum ordinem Melchisedech tradidit nobis sacramentum suum. Hieronymus in Psal. 109.

Gen. 14.

Ioan. 6.

Qui dicit panem nostrum quotidianũ da nobis hodie, utiq; esuriens loquitur, dat escam esurientibus. Putat aliquis quòd panem cælestem de mysteriis dicat: Et hoc quidem accipimus, quia uera caro Christi est. Ceterum dicamus & aliter: Panis Christi & caro eius, sermo diuinus est & doctrina cælestis. Hieronymus in Psal. 145.

Postquam typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, & ad uerum paschæ transgreditur sacramentum, ut quomodo

modo in præfiguratione eius, Melchisedech sū- *Gen. 14.*
mi Dei sacerdos, panem & uinum offerens fece-
rat, ipse quoq; ueritatē sui corporis & sanguinis
repræsentaret. Hieronymus in Matthæū, cap. 26.

Itaque sicut nobis licet uel ieiunare semper,
uel semper orare, & diem dominicum accepto
Domini corpore indefinēter celebrare gauden-
tibus: nō ita & Iudæis fas est omni tempore im-
molare agnum, pentecosten agere, tabernacula
figere, ieiunare quotidie. Hieronymus in episto-
la ad Galatas, lib. 2. cap. 4.

Si laicis imperatur ut propter orationem ab-
stineant se ab uxorū coitu, quid de episcopo sen-
tiendum est, qui quotidie pro suis populiq; pec-
catis, illibatas Deo oblaturus est uictimas? Hie-
ronymus in epist. ad Titum, cap. 1.

Tantum interest inter propositionis panes &
corpus Christi, quantū inter umbram & corpo-
ra, inter imaginem & ueritatem, inter exempla-
ria futurorū, & ea ipsa quæ per exemplaria præfi-
gurabātur. Hieronymus in epist. ad Titū, cap. 1.

Sed ignoramus absque charitate pacem, sine
pace communionem. Legimus quoque in Euā-
gelio: Si offers munus tuum ad altare, & ibi re- *Mat. 5.*
cordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid
aduersum te, dimitte ibi munus tuum coram al-
tari, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc
ueniens offer munus tuum. Si munera nostra
absque pace offerre non possumus, quātò magis.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

& Christi corpus accipere? qua conscientia ad Eucharistiam Christi accedam, & respondebo Amen, cū de charitate dubitē porrigentis? Hieronymus aduersus Ioannē Hierosolymitanum.

Ioan. 6.

Dupliciter uerò sanguis Christi & caro intelligitur, uel spiritualis illa atque diuina, de qua ipse dixit: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus: & Nisi māducaueritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis uitam æternā: uel caro & sanguis, quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea, iuxta hanc diuisionem & in sanctis eius diuersitas sanguinis & carnis accipitur, ut alia sit caro, quæ uisura est salutare Dei, alia caro & sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere. Hieronymus in epistola ad Ephesios, lib. i. cap. i.

*nō est alia
nā sū gūa*

Hieronymus hic admonet, Christum uerum Deum & uerum hominē, cum unum duntaxat corpus habeat, ueram humanam carnem & uerum sanguinē de Maria uirgine matre sua sumpsisse. Quæ quidem caro, dum in terris uiueret, omnibus humanæ naturæ infirmitatibus (excepto peccato) subdita, patibilis usque ad mortē, insultatibus Iudæis, à militibus crucifixa est, palam omnibus qui aderant intuentibus. Et similiter sanguis Christi in corpore patibili, militis lancea fusus est, in conspectu omnium qui tunc interfuerunt. Cæterum illa eadem caro post resurrectionem iam in sempiternum uiuens, nec
morti

morti aut passionibus amplius subiecta, ad immortalitatem prouecta est. Itaque omnibus glorificati corporis dotibus prædita, ac eo modo spiritalis & diuina reddita, uerè inuisibiliter est in sacramento. Attamen eo modo, quo Christus in terris uixit, patibilis, & infirmitatibus obnoxius, omniumq; oculis conspicabilis, caro eius mysteriis nunc uelata, non uidetur esse in sacramento. Hæc autem carnis differētia non in eius substantia, sed in qualitate animaduertēda est, ut & eadem sit caro per essentiam, & aliquo modo nō eadem esse uideatur, iam alterata per gloriam. Iuxta hanc diuisionem, inquit Hieronymus, sicut in carne Christi, sic etiam in sanctis eius, diuersitas carnis & sanguinis accipitur, ut alia sit caro quæ uisura est salutare Dei, alia caro & sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere. Nā quis nescit carnem nostram nunc esse mortalem, infirmam, animalem, aggrauantem animam, quæ regni Dei hæreditatem consequi non potest, si- I. Cor. 15. cut nec corruptio incorruptionem possidebit: postea tamen futuram gloriosam, spiritalē, incorruptam, & immortalem, qua Deum facie ad I. Cor. 13. faciem uidebimus? Oportet nanque (inquit Paulus) corruptibile hoc, induere incorruptionē: & mortale hoc, induere immortalitatem. Quòd si nostra caro in substātia eadē est, quæ iam seminatur in corruptione, & quæ resurget in incorruptione: certè eadē est caro Christi, quæ crucifixa

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Ioan. 6.

fuit, sanguisque qui militis lancea effusus est, & illa eius caro, de qua Dominus dixit: Nisi manducaueritis carnem meam, & sanguinem meum biberitis, nō habebitis uitam æternam: quanuis in modo diuersitas quædã intelligatur, ut in sacramento sit caro spiritualis & diuina: quæ uerò in cruce passa est caro, fuerit infirma & mortalis.

In hanc sententiã Augustinus exponens psalmum nonagesimum octauum, scripsit: Non hoc corpus quod uidetis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fufuri sunt, qui me crucifigēt: cum paulo antè idem scripsisset, Christum ipsam carnẽ, quam de carne Mariæ accepit, & in qua hic ambulauit, nobis manducandã ad salutem dedisse, ut intelligamus Christi carnem in substantia eandem utrobique fuisse, sed in forma & qualitate quasi alterã nempe in cruce uisibilem & patibilem: in sacramento autem uelatam & spiritualementem.

Illud ipsum Iuo Episcopus Carnotēsis, uir sanctus & admodum eruditus, centum & triginta annis Gratiano, & omnibus Scholasticis antiquior, in epistola sua ad Haymericum Abbatem annotauit, sic scribens: Item dixisti te hærere in quibusdam uerbis beati Augustini, conãtis determinare uerba Domini duodecim Apostolos instruētis, qui remanserant septuaginta ferme retro abeuntibus. Sunt autẽ hæc uerba: Non hoc corpus quod uidetis manducaturi estis, neque bibituri

bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt illi
 qui me crucifigent. Quod sic conuenienter in-
 telligi potest, quia & ipsum est, & non ipsum:
ipsum quidem materiali essentia, sed non ipsum
uisibili forma. Vnde & subditur: Et si necesse est
illud uisibiliter celebrari, necesse est tamen inui-
sibiliter intelligi. Ipsi enim qui recesserunt à Do-
 mino, putabant quòd carnes Domini uiuentis
 bestiali more essent in frustra scissuri, & aut eli-
 xas uel assas in ueribus comesturi: quòd si nol-
 lent, non possent eius esse discipuli. Nos autem
sic immolatum Christum māducamus & bibi-
mus, ut integrum eum ad dexteram patris ma-
 nere credamus: & cum semel in distinctione
 membrorum suorum, in manifestatione corpo-
 ris sui se obtulerit hostiam uiuētem, passibilem,
 & mortalem, quotidie tamen sub uelamento pa-
 nis & uini, à sancta Ecclesia immolatur, & non
 in partes scissum neq; cruentū corpus eius fide-
 lium ore percipitur. Et hoc est quod dicitur: Nō
 hoc corpus quod uidetis, māducaturi estis, Ne-
 que enim quod de altari sumimus, beatus Au-
 gustinus uerum corpus esse negaret, qui hoc in
 plerisque tractatum suorum locis euidenter af-
 firmat. Vnde dicit in quodā Sermone de uerbis
 Euāgelij, Quod uidetis in altari panis est & ca-
 lix, quod etiam oculi renunciant: quod autem
 fides postulat instruenda, panis est corpus, calix
 est sanguis. Et interpositis quibusdā, Quomodo

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

(inquit) panis est corpus, uel quod habet calix, quomodo est sanguis? Ista fratres ideo dicuntur sacramenta, quia aliud uidetur, aliud intelligitur. Item idem in sermone ad Neophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod manauit de Christi latere. Haecenus Iuo.

Sanguine læta redit fuso gens impia Christi,
Gustato Christi sanguine, læta redit. Sedulius in Hymno.

Fonte renascētes, mēbris ac sanguine Christi
Vescimur, atq; ideo tēplū deitatis habemur.

Sedulius, Carmine Paschali, lib. 5.

Nec Dominum latuere doli, scelerisq; futuri
Prodidit auctorem, panem cui tradidit ipse,
Qui panis tradendus erat: Nam corporis atq;
Sanguinis ille sui postquā duo munera sanxit,
Atq; cibū potūq; dedit, quo perpete nunquā
Esuriant sitiāntq; animæ sine labe fideles,
Protinus in Iudam, sedes ubi liuor habebat,
Spiritus intrauit teterrimus, armāq; sumens,
In Dominum seruile dedit consurgere bellū.

Sedulius, Carmine Paschali, lib. 4.

Non ista mandauit nobis, sed tantummodo
memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit,
cui nullius diei prætermissione seruierat, unde
sciret dispensari uictimā sanctam, qua deletum
est chirographum quod erat contrarium nobis,
qua triumphatus est hostis. Augustinus, Confessionum

Ioan. 13.

Coloss. 2.

sionum libro 9, capite 13.

Vouentur autem omnia quę offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio, quo sacramento prædicatur nostrum aliud uotum maximū, quo nos uouimus in Christo esse māsuros, utique in compage corporis Christi. Cuius rei sacramen- I. Cor. 10. tum est, quòd unus panis unum corpus multi sumus. Ideo in huius sanctificatione & distributionis præparatione, existimo Apostolum iussisse proprie fieri *προσευχῆς*, id est orationes. I. Tim. 2. Augustinus Paulino, Epistola 59.

Iste autem qui uetera transisse sic dicit, ut in Christo cederet ara altari, gladius ieiunio, precibus ignis, pani pecus, poculo sanguis: nescit altaris nomē magis Legis & Prophetarū literis frequentatum, ut altare Deo prius in tabernaculo, Exod. 38. quod per Moysen factum est collocatum. Aram Apoc. 6. quoque in Apostolicis literis inueniri, ubi martyres clamant sub ara Dei. Dicit cessisse pani pecus, tanquam nesciens & tunc in Domini mēsa panes propositionis poni solere, & nunc se de agni immaculati corpore partem sumere. Dicit cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem. si qd seqt statū p̄ se qnti Augustinus Casulano, Epist. 96.

Quanto ergo melius & congruentius uetera trāsisse, & noua in Christo facta esse sic diceret: ut cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, sanguis sanguini? Au-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

gustinus Casulano, Epistola 85.

Liquido apparet, quando primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est uniuersæ Ecclesiæ quod à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideo per uniuersum orbem mos iste seruatur. August. Ianuario, Epist. 118.

Namq; Saluator quò uehementius commendaret mysterij illius altitudinem, ultimum hoc uoluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo uariasset. Augustinus Ianuario, Epist. 118.

Psal. 21.

Vota mea reddam coram timentibus eum: edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum. Ipsi sunt paruuli de quibus dixit: Et reuelasti ea paruulis, timetes eum, & pauperes, id est, humiles qui non alta sapiunt, sed timent timore illo casto, non quo pœna formidatur, sed quo gratia cõmendatur. Vota uerò sua, sacrificiũ uult intelligi corporis sui, quod est fideliũ sacramentũ. August. Honorato, Epist. 120.

Mat. 11.

Tolerat

Tolerat ipse Dominus Iudam, diabolum, furem, & uēditorem suum: finit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles nouerunt, preciū nostrū. August. Epist. 162. cōtra Donatistas.

Traditorem enim suum, qui iam preciū eius acceperat, usque ad ultimum pacis osculum, inter innocētes secum esse perpessus est: quibus nō tacuit esse inter illos tanti sceleris hominem, & tamen primum sacramentū corporis & sanguinis sui, nōdum illo excluso communiter omnibus dedit. Augustinus, Epistola 163.

Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari, cum pro illis sacrificiū mediatoris offertur, uel eleemosynæ in Ecclesiis fiunt. Sed eis hæc profunt, qui cū uiuerēt, ut hæc sibi postea, prodesse possent meruerunt. Est enim quidam uiuendi modus, nec tam bonus ut nō requirat ista post mortem, nec tam malus, ut ei non profint ista post mortem. Est uerò talis in bono, ut ista nō requirat: & rursus talis in malo, ut nec his ualeat, cum hæc uita trāsierit adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc uitam releuari quispiam uel grauari. Augustinus in Enchiridio. cap. 110.

Cum ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcūque eleemosynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur: pro ualde bonis, gratiarum actiones sunt, pro nō ualde malis, propitiationes

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

sunt: pro ualde malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque uiuorum cōsolationes sunt. Quibus autem profunt, aut ad hoc profūt, ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa dānatio. August. in Enchiridio, cap. 110.

Potuit tamen Paulus significando prædicare Dominum Iesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramentū corporis & sanguinis eius, Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarū conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptū, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutē spirituales, in memoriā pro nobis dominicæ passionis. Quod cū per manus hominū ad illam uisibilem speciem perducitur, nō sanctificatur ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei. Augustinus de Trinitate, lib. 3. cap. 4.

Quid tam mundū pro mūdandis uitiis mortalium, quàm sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ, caro nata in utero, & ex utero uirginali? & quid tam gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri corpus effectū sacerdotis nostri? August. de Trinitate, lib. 4. cap. 14.

Ioan. 6.

Sed cum Dominus dicat: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinē, non habebitis uitā in uobis: quid sibi uult quòd
à san-

à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerbantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo uera sit remissio peccatorum? A cuius tamen sacrificij sanguine in alimentum sumēdo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortatur qui uolunt habere uitam. August. Quæst. super Leuiticū, lib. 3. cap. 57.

Manna autē typus est escæ spiritualis, quæ resurrectionis Domini ueritas facta est in Eucharistię mysterio. Augustinus, Quæst. ex Nouo testamento. quæst. 95.

In Machabeorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nunquã in scripturis ueteribus omnino legeretur, nō parua hac cōsuetudine claret authoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commēdatio mortuorum. Quæ cum ita sint, nō existimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus, peruenire, nisi quod pro eis, siue altaris, siue orationū, siue eleemosynarum sacrificiis solenniter supplicamus. Quauis non pro quibus fiant omnibus profunt, sed his tantum quibus dum uiuunt, cōparatur ut profint. Augustinus de cura pro mortuis, cap. 18.

De sacramento fanè quod accepit, cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum diuinarum esse uisibilia, sed res ipsas inuisi-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

biles in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatã, quemadmodum habetur in usu quolibet. Dicendum etiam quid significet & sermo ille quem audiuit, quid in illo condatur, cuius illa res similitudinem gerit. August. de Catechizandis rudibus, cap. 26.

Mat. 6.

Panis quotidianus aut pro his omnibus dictus est, quę huius uitę necessitatẽ sustentant, de quo cum præcipit, ait: Nolite cogitare de crastino: ut ideo sit additum, da nobis hodie: aut pro sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus, aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit: Operamini escam quę non corrumpitur. Si quis autem etiam illa quę de uictu corporis necessario, uel sacramẽto Dominici corporis, istam sententiam uult accipere, oportet ut coniunctè accipiantur omnia tria, ut scilicet quotidianum panem simul petamus, & necessarium corpori, & sacramentum uisibile, & inuisibile uerbi Dei. Augustinus de Sermone Domini in monte, lib. 2.

Ioan. 6.

1. Cor. 10.

Hoc est sacrificium Christianorum, multi unũ corpus sumus in Christo, quod etiam sacramẽto altaris fidelibus noto, frequentat Ecclesia, ubi ei demõstratur, quòd in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur. Augustinus de ciuitate Dei, libro 10, cap. 6.

Philip. 2.

1. Tim. 2.

Vnde uerus ille mediator, in quantum formã serui accipiens, mediator effectus est Dei & hominum,

v. 5
 minum, homo Christus Iesus, cum in forma Dei sacrificium cum patre sumat, cum quo & unus est Deus: tamē in forma serui sacrificium maluit esse, quā sumere, ne uel hac occasione quisquā existimaret cuiuslibet sacrificādum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est, ipse offerēs, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianū esse uoluit: Ecclesiæ sacrificiū, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tā ipsa per ipsum, quā ipse per ipsam suctus offerri. Augustinus de ciuitate, lib. 10. cap. 20.

Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, Cupedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & feruorum suorum, domum suam spirituum malignorū uim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros (me absente) presbyteros, ut aliquis eorū illò pergeret, cuius orationibus cederēt. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit ut cessaret illa uexatio, Deoque protinus miserāte cessauit. Augustinus de ciuitate, lib. 22. cap. 8.

Aëriani ab Aërio quodam sunt, qui cum esset presbyter, doluisse fertur quòd episcopus nō potuit ordinari, & in Arianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidisse nōnulla, dicens: Orare, uel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solenniter celebranda esse ieiunia, sed cum quisque uoluerit, ieiunan-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

dum, ne uideatur esse sub lege. Augustinus de Hæresibus ad quod uult Deum. Hær. 53.

Noster autē panis & calix, non quilibet, quasi propter Christum in spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quanuis fit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis, nisi quod benedicimus, gratiāsque agimus Domino in omni eius munere, non solum spirituali, uerū etiam corporali. Quomodo ergo comparas panem & calicem nostrum, & parem religionē dicis, errorem longè à ueritate discretū? peius desipiens quàm nonnulli, qui nos propter panem & calicem, Cererem ac Liberum colere existimāt. August. contra Faustum, lib. 20. cap. 13.

Hebræi autem in uictimis pecorum quas offerebant Deo, multis & uariis modis, sicut re tāta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ uictimæ quam Christus obtulit. Vnde iam Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi. Augustinus contra Faustum, lib. 20. cap. 18.

Populus autem Christianus memorias martyrum religiosa solennitate cōcelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum cōsocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrū, quāuis

ex august.

in memorias martyrum, constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo qui martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit, ut ex ipsorum locorum admonitione, maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adiuuante possumus. Augustinus contra Faustum, lib. 20. cap. 21.

Nos autem audiamus & intelligamus, duo testamenta in duobus filiis Abraham, duabusque mulieribus eius commixtione foetatis, sicut duos in carne una, Christum & Ecclesiam, istis nolentibus, sine ulla obscuritate cognoscimus: sicut mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem datem, fideli corde atque ore suscipimus. Quauis horribilius uideatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere. Augustinus contra aduers. legis, lib. 2. cap. 9. Gen. 16. & 21.

Hoc penè in omnibus talibus quaestionibus intelligendum admonemus, scilicet, quia omnia sacramenta cum obsint indignè tractantibus, profunt tamen per eos, dignè sumèntibus, sicut & uerbum Dei testatur. Augustinus contra epist. Parmeniani, lib. 2. cap. 10.

Nos dicimus tale cuique sacrificium fieri, qua-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

lis accedit ut offerat, & qualis accedit ut sumat, & eos de sacrificiis talium manducare, qui ad illa tales accedunt, quales & illi sunt. Itaque si offerat Deo malus, & accipiat inde bonus, tale cuique esse qualis quisque fuerit, quia & illud scriptum est, Omnia munda mundis. Augustinus contra lit. Petilliani, lib. 2. cap. 52. 7.

Tit. 1.

Sed sicut aliud est carnis circuncisio Iudæorum, aliud autem quod octavo die baptizatorum nos celebramus: & aliud est Pascha, quod adhuc illi de ovis celebrant, aliud autem quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus: sic alius fuit baptismus Ioannis, alius est baptismus Christi. Augustinus contra lit. Petill. lib. 2. cap. 37.

Ioan. 13.

Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo præbuit: sic indigne quisque sumens dominicum sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit: Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat, etiam illis quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Non ergo quærant in catholica hæretici quod habent, sed quod non habent, id est finem præcepti charitatem, sine quo multa sancta haberi possunt, sed prodesse non possunt. Augustinus de baptismo, lib. 5. cap. 8. 5.

1. Cor. 11.

1. Tim. 1.

Non unius modi est sanctificatio. Nam Catechumenos

chumenos secundum quendam modum suum, per signum Christi & orationem manus impositionis puto sanctificari: & quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est. Verum & ipsos cibos quibus ad necessitatem sustentandae vitae huius alimur, sanctificari idem Apostolus dixit, per uerbum Dei *1. Tim. 4.* & orationem, qua oramus utique nostra corpuscula refecturi. Augustinus de peccat. merit. lib. 2. cap. 26.

Et ferebatur in manibus suis. Hoc uero fratres quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est corpus meum: ferebat enim *Mat. 25.* illud corpus in manibus suis: ipsa est humilitas Domini nostri Iesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus. Augustinus in Psal. 33.

Et ferebatur in manibus suis. quomodo ferebatur in manibus suis? quia cum commendaret ipsum corpus suum & sanguinem suum, accepit in manus suas, quod norunt fideles, & ipse se portabat quodammodo cum diceret, Hoc est corpus meum. Augustinus in Psal. 33.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Psal. 33.

Accedite ad eum & illuminamini. Aut potius Christianus aliquis spiritualis, ad ipsum Dominum nostrum Iesum Christum inuitat ut accedamus ad eum, sed accedamus ad eum ut illuminemur, non quomodo ad eum accesserunt Iudæi ut tenebrarentur. Accesserunt enim illi ad illum ut crucifigerent, nos ad eum accedamus ut corpus & sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum, & bibendo, illuminemur. August. in Psal. 33.

Psal. 39.

Quando promittebatur, tunc dicebatur: cum autem datum est quod promissum est, ablata sunt uerba promissiua, data sunt completiua. Sacrificia ergo illa, tanquam uerba promissiua ablata sunt. Quid est, quod datum est completiuum? Corpus quod nostis: quod utinam qui nostis omnes, non ad iudicium noueritis. Videte quando dictum est, Christus enim ille est Dominus noster, modò loquens ex membris suis, modò loquens ex persona sua: Sacrificium, inquit, & oblationem noluiisti. Quid ergo? Nos iam hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? ab sit. Corpus autem perfecisti mihi) Hoc promittebatur quibusdam signis: ablata sunt signa promittentia, quia exhibitata est ueritas promissa. In hoc corpore sumus, huius corporis participes sumus: quod accipimus nouimus, & qui non nostis noueritis: & cum dixeritis, non ad iudicium accipiatis: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat

I. Cor. II.

ducat & bibit. Perfectum enim est nobis corpus,
perficiamur in corpore. August. in Psal. 39.

Fusus Domini sanguis donatus est homicidis,
nō ut dicam Deicidis: quia si cognouissent, nū- *1. Cor. 2.*
quam Dominū gloriæ crucifixissent. Modo ho-
micidis donatus est, fusus sanguis innocentis: &
ipsum sanguinem quem per insaniam fuderūt,
per gratiam biberunt. August. in Psal. 65.

Si dixerimus Catechumeno, Credis in Chri-
sto? respondet, credo, & signat se cruce Christi.
Portat in fronte, & nō erubescit de cruce Domi-
ni sui: Ecce credit in nomine eius. Interrogemus
eum, Manducas carnē filij hominis, & bibis san-
guinem filij hominis? Nescit quid dicimus, quia *Ioan. 2.*
Iesus non se credidit ei. Quò ergo perducit cre- *Exod. 16.*
dentes & baptizatos? ad manna. Ecce dico man-
na: Notū est quid acceperint Iudæi, populus ille
Israel: notum est quid illis pluisset Deus de cælo:
Et nesciunt Catechumeni quid accipiunt Chri-
stiani? Erubescant ergo quia nesciunt: transeant
per mare rubrū, manducant manna: ut quomo-
do crediderunt in nomine Iesu, sic se ipsis credat
Iesus. Augustinus in Ioannem, tract. II.

Hoc est opus Dei ut credatis in eum quē mi- *Ioan. 6.*
sit ille. Hoc est ergo manducare cibum non qui
perit, sed qui permanet in uitam æternā. ut quid
paras dentes & uentrem? crede & manducaſti.
Augustinus in Ioannem, tract. 25.

Intrare quisquam Ecclesiam potest nolēs, ac-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

cedere ad altare potest nolēs, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi uolens. Augustinus in Ioannem, tract. 26.

1. Cor. 8.

Proinde sic dictū est, Caro non prodest quicquam, quomodo dictum est scientia inflat. Iam ergo debemus odisse scientiā? Absit. Et quid est, Sciētia inflat? Sola sine charitate: Ideo adiunxit, charitas uerò ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem & utilis erit scientia, nō per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quicquam, sed sola caro: Accedat spiritus ad carnē, quomodo accedit charitas ad scientiā, & prodest plurimum. Nam si nihil caro prodesset, uerbum caro non fieret ut inhabitaret in nobis. Augustinus in Ioannem, tract. 27.

Ioan. 6.

Verba uitæ æternæ habes. Vitam enim æternam habes, in ministracione corporis & sanguinis tui, & nos credimus & cognouimus, non cognouimus & credimus, & cætera. Quid credimus & quid cognouimus? quia tu es Christus filius Dei uiui, id est, quia ipsa uita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo, nisi quod es. Augustinus in Ioannem, tract. 27.

Mortuus est Christus pro nobis, sed nunquid à nobis? At uerò illi uiderunt Christum suo scelere morientem, & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem. Quousque biberēt sanguinem quem fuderant, de sua salute desperauerunt. Augustinus in Ioannem, tract. 31.

Nimirum

Nimirum hoc est quod legitur in Prouerbiis *Prouer. 23* Salomonis: Si federis cœnare ad mensam potētis, considerans intellige quæ apponuntur tibi, & sic mitte manum tuam, sciēs quia talia oportet te præparare. Nam quæ mensa est potētis, nisi unde sumitur corpus & sanguis eius, qui animā suam posuit pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est cōsiderare & intelligere quæ apponūtur tibi, nisi digne tātam gratiam cogitare? Et quid est sic mittere manum, ut scias quia talia te oportet præparare, nisi quod iam dixi, quia sicut pro nobis Christus animā suā posuit: sic & nos debemus animas pro *1. Ioan. 3.* fratribus ponere? August. in Ioannem, tract. 84.

Hoc est talia præparare: hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt: quorū si non inaniter memorias celebramus, atq; in conuiuio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet ut quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam, non sic eos commemoramus quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiā pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum uestigiis adhæreamus, quia impleuerūt ipsi charitatem, qua Dominus dixit nō posse esse maio- *Ioan. 15* rem. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt. Augustinus in Ioannem, tract. 84.

Postremo secūdum hanc iustitiam, nunquid

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Ioan. 16. dicturi sumus, Paulum Apostolum nō fuisse iustum, confitentem se Christū uidisse post ascensionem eius in cælum, de quo utique iam tēpore dixerat, iam nō uidebitis me? Nunquid secundum hanc iustitiam, iustus non erat gloriosissimus Stephanus, qui cum lapidaretur ait: Ecce uideo cælum apertū, & filium hominis stantem ad dexteram Dei? Quid ergo est, Ad patrem uado, & iam non uidebitis me? Nisi quomodo sum cū uobiscum sum. Tūc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui esurire poterat atque sitire, fatigari atque dormire. Hūc ergo Christum, id est talem Christū, cum transisset de hoc mūdo ad patrē, non erant iam uisuri.

2. Cor. 5. Et ipsa est iustitia fidei, de qua dicit Apostolus, Etsi noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Augustinus in Ioānem, tract. 95.

Luc. ult. Discipuli ergo eum non agnouerunt nisi in fractione panis, & uerè qui non sibi iudiciū manducat & bibit, in fractione panis Christū agnoscit. Augustinus in epistolam Ioannis, tract. 2.

Gratias tibi ago pro sanctissima illa effusione preciosi sanguinis eius, quo sumus redempti, simul & pro sacrosancto & uiuifico mysterio corporis & sanguinis eius, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, & unius summe diuinitatis participes efficimur. Augustinus Meditationum, cap. 14.

Nec

Nec relinquetis ex eo quicquam usque in mane. Hoc nunc agitur: comeditur enim agnus per noctem huius seculi, ut cum mane illud uenerit quod uesperum non habebit, iam non offeratur sacrificiū imaginis agni: sed ipsum agnum quē quotidie comedimus, & cuius sanguinem bibimus, inueniamus illic eum sacerdotē perfectū, quem constat hic pro nostra salute occisum. Augustinus de Cataclysmo, cap. 4. *Exod. 12.*

Hoc autem miraculo territi, consilium uitæ ab Apostolis petiuerunt. Tunc eis Petrus annunciauit, eum colendum quem crucifixerūt, ut eius iam sanguinem nossent bibere credentes, quem fuderant sæuientes. Augustinus de utilitate pœnitentiæ, cap. 1. *Act. 2.*

Quantum nefas est occidere Christum? Iudæi tamen eum occiderunt, & multi in eum postea crediderunt, & biberunt sanguinem, dimissūque est illis peccatum quod commiserunt. Augustinus de Symbolo ad Catechu. lib. 1. cap. 6.

Memini sermonis mei cum de sacramētis tractarē, dixi uobis quòd ante uerba Christi, quod offertur panis dicatur: ubi Christi uerba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Augustinus de uerbis Domini, Ser. 28.

Illud etiam quod ait: Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in illo: quomodo intellecturi sumus? Nūquid etiam illos hic poterimus accipere, de qui-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

I. Cor. II.

bus dicit Apostolus, quòd iudicium sibi manducant & bibant? Nunquid & Iudas magistri uenditor & traditor impius, quanuis primum ipsum

Luc. 22.

manibus suis confectum, sacramentum carnis & sanguinis eius cum ceteris discipulis (sicut apertius Lucas Euangelista declarat) manducaret & biberet, mansit in Christo aut Christus in eo? Multi denique qui uel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, uel cum manducauerint & biberint, apostatae fiunt, nunquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quomodo qui manducauerit & biberit, in Christo manet & Christus in eo. Nò ergo quocunque modo quisquam manducauerit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo & in illo Christus: sed certo quodam modo, quem modum utique ipse uidebat quando ista dicebat. Augustinus de uerbis Domini, Ser. II.

Luc. 14.

Dixerat unus de discumbentibus, &c. Beati qui manducant in regno Dei panem: quasi in longinqua iste suspirabat, & ipse panis ante illum discumbebat. Quid est panis de regno Dei,

Ioan. 6.

nisi qui dicit, Ego sum panis uiuus qui de caelo descendi? Nolite parare fauces sed cor. Iudae comendata est ista coena. Ecce credimus in Christum, cum fide accipimus, in accipiendo nouimus quid cogitemus: modicum accipimus, & in corde

corde faginamur. Non ergo quod uidetur, sed quod creditur pascit. Augustinus de uerbis Domini, Ser. 33.

Perfectio tamen in hac uita nonnulla est, ad quam sancti martyres peruenerunt. Ideoque habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ibi non pro ipsis oretur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus comendari. August. de uerbis Apostol. Ser. 17.

Proinde pompa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturae, monimentorum opulenta constructio, uiuorum sunt qualiacunque solatia, non adiutoria mortuorum. Orationibus uero sanctae Ecclesiae, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, ut cum eis misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum uniuersa obseruat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi comunione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum uero eorum comendandorum causa, opera misericordiae celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Augustinus de uerbis Apostol. Ser. 32.

Non omnino ambigendum est ista prodesse.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

defunctis, sed talibus qui ita uixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem.

Galat. 5. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, eiusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius dum hic essent pignore caruerunt, uel non suscipientes, uel in uanum suscipientes Dei gratiam, & sibi misericordiam non thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operatur sui, sed eorum præcedentibus, consequentiâ ista redduntur. August. de uerbis Apost. Ser. 32.

2. Cor. 6.

Rom. 2.

Interrogo uos fratres uel sorores, dicite mihi, quid uobis plus esse uideatur, uerbum Dei an corpus Christi? Si uerum uultis respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus uerbum Dei, quam corpus Christi. Et ideo quanta sollicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat: tanta sollicitudine obseruemus, ne uerbum Dei quod nobis erogatur, dum aliquid cogitamus aut loquimur, de corpore nostro pereat. Quia non minus reus erit, qui uerbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Christi in terram cadere, negligentiâ sua permisit. Augustinus, Homilia 26.

Ad hoc enim altare quod nunc in Ecclesia est in terra positum, terrenis oculis expositum, ad mysteriorum diuinorum signacula celebranda, multi
etiam

etiam scelerati possint accedere: quoniam Deus in hoc tempore commendat patientiam suam, & cætera. Ad illud autem altare quò præcursor pro nobis introiuit Iesus, quò caput Ecclesiæ præcessit, membris cæteris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus ut iam commemoravi, dixit Apostolus, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. *Galat. 5.* Augustinus Homilia 50, & de pœnitentiæ medicina.

Eligit uerò crucem, quæ leui motu manus exprimitur, qua & contra inimici uersutias munitur: hoc enim signo crucis consecratur corpus dominicum, sanctificatur fons baptismatis, inicianantur etiam presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæcunque sanctificatur, hoc signo dominici crucis, cum inuocatione Christi nominis cõsecrantur. August. Ser. 181. de tẽpore.

Omnes uiri quando cõmunicare desiderant, lauãt manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant. Non est graue quod dico fratres, quomodo uiri lauuant aqua manus suas, sic eleemosynis lauent conscientias suas. Similiter & mulieres quomodo nitidum exhibent linteolũ, ubi corpus Christi accipiant: sic corpus castum, & cor mundum exhibeant, ut cum bona cõscientia Christi sacramẽta suscipiant. Augustinus, Ser. 252. de tẽpore.

Sub ara, inquit, Dei uidi animas occisorum. *Apoc. 6.* Quid reuerẽtius, quid honorabilius dici potest,

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

quàm sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua
Psal. 109. Dominus est sacerdos, sicut scriptum est, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech? Rectè sub altari iustorũ animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. Nec immerito illic iusti uindictã sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Augustinus de sanctis, Ser. II.

Hoc quod uidetis in altari Dei, etiam transacta nocte uidistis: sed quid esset, quid sibi uelit, quàm magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo uidistis, panis est & calix, quod uobis etiã oculi uestri renunciãt: quod autem fides uestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Dominus noster Iesus Christus nouimus unde acceperit carnẽ: de uirgine Maria, infãs lactatus est, nutritus est, creuit, ad iuuenilem ætatem perductus est, à Iudæis persecutionẽ passus est, ligno suspensus est, in ligno interfectus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die uoluit in cælum ascendit: illuc leuauit corpus suum, unde est uenturus ut iudicet uiuos & mortuos, ibi est modo sedes ad dexteram patris. Quomodo est panis corpus eius, & calix, uel quod habet calix, quomodo est sãguis eius? Ista fratres ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud uidetur, aliud intelligitur: quod uidetur speciem habet corporalem, quod intelligitur

tur fructum habet spiritualem. Augustinus, Ser. ad infantes, Refertur à Beda.

Ad istam mensam quis nos inuitauit, & quid præparauit? Inuitauit Dominus seruos, & præparauit eis cibum seipsum. Quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen ait, Qui māducat me, & ipse uiuit propter me. Quando Christus manducatur, uita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuos uiuificat: quādo manducatur reficit, non deficit. Non ergo timeamus fratres manducare istum panem, ne fortè finiamus illum, & postea quid manducemus non inueniamus: manducetur Christus, uiuit manducatus, quia resurrexit occisus. Augustinus de uerbis Euangelij, Refertur à Beda.

Nec quando manducamus, de illo partes facimus: & quidem in sacramēto sic fit, & norunt fideles quemadmodum manducant carnē Christi. Vnusquisq; accipit partē suam, unde & ipsa gratia partes uocantur: per partes manducatur, & manet integer totus: per partes māducatur in sacramento, & manet integer in cælo, manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud patrem, quando uenit in Virginem, impleuit illam, nec recessit ab illo. Veniebat in carnem, ut eum homines māducarent, & manebat integer apud patrem, ut angelos pasceret. August. Ser. de uerbis Euangelij, Refertur à Beda.

Altare itaque spiritualiter, in interiore dei tē-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

pro ipsam fidem accipere possumus, cuius signū est altare uisibile. Quodlibet enim munus offerimus Deo, siue prophetiam, siue doctrinā, siue orationem, siue hymnum, siue psalmū, & si quid tale aliud spiritualium donorum animo occurrerit, acceptum esse nō potest Deo, nisi fidei sinceritate fulciatur, & ei fixe atque immobile tanquam imponatur, ut possit integrum atque illibatū esse quod loquimur. Nam multi hæretici non habētes altare, id est, ueram fidem, blasphemias pro laude dixerunt, terrenis uidelicet opinionibus aggrauati, uotum suum tanquam in terram proiicientes. Augustinus, Sermone Domini in monte, lib. i.

Vt autē in omnibus obseruantia nostra concordet, illud quoque uolumus custodiri, ut cū solennior festiuitas, conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo cōuenit, quam basilica recipere simul una nō possit: sacrificij oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc deuotionem qui primi aduenerint, uideantur hi qui postmodum cōfluxerint non recepti: Cum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties basilicam in qua agitur, præsentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necessē est autem ut quædam pars populi sua deuotione priuetur, si unius tantū Missæ more seruato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte cōuenierint.

nerint. Leo primus, epistola ad Dioscorum.

In quibus isti ignorantię tenebris, in quo hactenus defidię torpore iacuere, ut nec auditu disce-
rent, uel lectione cognoscerēt, quod in Ecclesia
Dei in omnium ore tam cōsonum est, ut nec ab
infantium linguis ueritas corporis & sanguinis
Christi, inter communis sacramēta fidei tacea-
tur? Quia in illa mystica distributione spiritualis
alimonię hoc impartitur, ut accipientes uirtutē
cælestis cibi, in carnem ipsius qui caro nostra fa-
ctus est, transeamus. Leo primus, epist. 23. ad cle-
rum & plebem Constantinopolitanam.

Fudit sanguinem iustum, qui reconciliando
mundo, & precium esset, & poculum. Leo, Ser.
II. de Passione Domini.

Non enim aliud agit participatio corporis &
sanguinis Christi, quàm ut in id quod sumimus
transeamus, & in quo commortui & confepulti
& conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spi-
ritu & carne gestemus. Leo, Ser. 14. de Passione.

Discūbentibus enim secum discipulis ad edē-
dum mysticam cœnā, cum in Cayphæ atrio tra-
ctaretur quomodo Christus possit occidi: ille
corporis & sanguinis sui ordinans sacramētum,
docebat qualis Deo hostia deberet offerri, nec ab
hoc quidē mysterio traditore submoto, ut ostē-
deretur nulla iniuria exasperatus, qui in uolun-
taria erat impietate præstitutus. Leo, Ser. 7. de
Pascha Domini.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Ioan. 6.

Tunc enim & sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando hi qui ista dependunt, quid operentur intelligūt. Nam dicente Domino: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis: sic sacre mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de ueritate corporis Christi & sãguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur quod fide creditur, & frustra ab illis, Amen respondetur, à quibus cõtra id quod accipitur disputatur. Leo, Ser. 6. de ieiunio septimi mensis.

Ut ergo umbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia ueritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur. Leo, Sermone 7. de Passione Domini.

At Iesus consilij sui certus, & in opere paterne dispositionis intrepidus, uetus testamentum cõsummabat, & nouum Pascha condebat. Discumbentibus enim secum discipulis ad edendã mysticam cœnã, cùm in Cayphæ atrio tractaretur quomodo Christus posset occidi, ille corporis & sanguinis sui ordinãs sacramentũ docebat, qualis Deo hostia deberet offerri, nec ab hoc quidẽ mysterio traditore submoto. Ibidem:

Non enim aliud agit participatio corporis & sãguinis Christi, quàm ut in id, quod sumimus, transea-

transcamus: & in quo mortui & sepulti conresuscitati sumus, ipsū per omnia & spiritu & carne gestemus, dicente Apostolo: Mortui enim estis, *Coloss. 3.* & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos cum Christo apparebitis in gloria, qui cū patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorū, Amē. Leo, Ser. 14. de Passione Domini.

Nō dissonat dilectissimi ab hac fide magister gentium Apostolus Paulus, quum dicit, Etsi cognouimus secundum carnē Christum, sed nunc iam non nouimus. Resurrectio enim Domini, non finis carnis, sed commutatio fuit, nec uirtutis augmento consumpta substātia est. Qualitas transiit, non natura deficit, & factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi, factū est immortale quod potuit occidi, factum est incorruptibile, quod potuit uulnerari: & merito dicitur caro Christi in eo statu, quo fuerit nota, nesciri, quia nihil in ea passibile, nihil remansit in ea infirmum, ut & ipsa sit per essentiam, & nō sit ipsa per gloriam. Quid autem mirum, si hoc de corpore Christi profitetur, qui de omnibus Christianis spiritualibus dicit, Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem? Ex hoc, inquit, initium nobis factum est resurrectionis in Christo. Leo, Ser. 20. de Resurrectione Domini.

Et sumpto poculo quum gratias egisset, dedit eis dicens, Bibite ex eo omnes: hic est enim san-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

guis meus, qui est noui testamenti, siue nouæ legislationis. Siquidem sanguis figuratiui agni, ueteris erat testamēti: sanguis uerò ueri agni, est noui. Euthymius in Matthæum, cap. 64.

Itaque sicut uetus testamētum hostias & sanguinem habebat, ita sanè & nouum, corpus uidelicet & sanguinem Domini. Nō dixit autem, hæc sunt signa corporis mei & sãguinis mei: sed, hæc sunt corpus meum & sanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eorum quæ proponuntur aspicere, sed ad uirtutē eorum. Quemadmodum enim supernaturaliter assumptam carnem deificauit (si ita loqui liceat) ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum uiuificū corpus suum, & in ipsum preciosum sanguinē suum, & in gratiam ipsorū. Euthymius in Matthæum, cap. 64.

Habent autem similitudinem quandam panis ad corpus, & uinum ad sanguinē. Nam & panis & corpus, terrea sunt: uinū autē & sanguis, aërea & calida. Et quemadmodum panis confortat, ita & Christi corpus hoc facit, ac magis etiã corpus & animã sanctificat: & sicut uinum lætificat, ita & sanguis Christi hoc facit, & insuper præfidiū efficitur. Euthymius in Matth. cap. 64.

Quòd si de uno corpore & sanguine omnes fideles participamus, omnes unum sumus per ipsam horum mysteriorum participationem, & in Christo omnes, & Christus in omnibus: Qui edit, inquit, carnem meam, & bibit meum sanguinem,

guinem, in me manet, & ego in illo: uerbum si-
quidem per assumptionē, carni unitum est: hæc
rursus caro unitur nobis per participationem.

Euthymius in Matth. cap. 64.

Ait autem Lucas hoc quoque dixisse Christū, *Luc. 22.*

Hoc facite in meam commemorationem: hoc,
inquit, nouum mysterium, & nō illud uetus. Si-
quidem uetus illud mysterium, in recordationē
inductum est salutis Hebræorum primogenito- *Exod. 12.*

rum in Aegypto, ac libertatis Hebræorum, hoc
autem in recordationem Domini. Per tale enim
sacrificium reminiscimur, quòd corpus suū pro
nobis in mortem tradiderit, & sanguinem suum
effuderit, ac ita cōtinuitate memoriam renoua-
mus. Vidisti quo pacto discipulos à ueteri sacri-
ficio in nouum trāstulerit. Nā quæ est deinceps
imaginis utilitas, uerum iam exemplar habenti-
bus? Euthymius in Matthæum, cap. 64.

Et nos itaque credamus ubique Deo, nec cō-
tradiciamus. Etiam si quod ab eo dicitur, cōtra-
riū esse uideatur nostris cogitationibus & aspe-
ctibus: sit tamen firmior sermo eius nostris cogi-
tationibus & aspectibus. Ita quoque in adorādis
mysteriis faciamus, non ea solū quæ proponun-
tur intuentes, sed sermonibus eius credentes.
Quūque ille dicat, Hoc est corpus meū, & hic
est sanguis meus, & pareamus & credamus. Si-
quidem etiā in baptismo, sensibilis quidem est
aqua, sed intelligibile donum est regeneratio.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Quia enim corpori conferta est in nobis anima, in sensibilibus intelligibilia tradidit nobis Deus. Euthymius in Matth. cap. 64.

Luc. 22.

Præterea quod subiungitur, Hoc ipsum poculum nouum testamentum est in meo sanguine, etsi scabrosa loquutio uideatur, nihil tamen differt à dicto sermone, quem Matthæus & Marcus scripserunt. Illi siquidem dixerunt, Hic est sanguis meus qui est noui testamēti, hoc est, qui nouum tradidit testamentum: Hic autem ait, hoc ipsum poculum nouum testamentum est, quod ego nunc testor, præcipiens uobis ut ita faciatis. Hoc autem nouum testamentum, in meo sanguine: uetus enim testamētum, irrationalis animalis sanguinē habebat. Euthymius super Matthæum, cap. 64.

Mat. 26.

Mar. 14.

Ioan. 6.

Ego sum panis uitæ, panis uiuificans, & qui, ut dictum est, dat uitam æternam. Nam ea propriè dicitur uita quæ æterna est, quæ enim ad tēpus durat non est uita, sed uitæ imago. Panē autem uitæ, suam uocat diuinitatē, siquidem ipsa panis est qui de cælo descēdit: tandem uerò etiā corpus suum uocat panem. Euthymius in Ioan-nem, cap. 9.

Ioan. 6.

Et panis quem ego dabo caro mea est) Duobus modis Christus dicitur esse panis: secundum diuinitatem uidelicet, & humanitatem. Postquam ergo docuit de modo qui secundum diuinitatem est, nunc etiam docet de modo qui est secundum huma-

humanitatem. Non autem dixit, quem do, sed quem dabo: daturus nāque erat in ultima cœna, quando sumptum panem actis gratiis fregit, deditq; discipulis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Euthymius in Ioānem, cap. 9.

Decertabāt ergo inter se Iudæi dicētes, *Quo-* *Ioan. 6.*
modo potest hic nobis dare carnem ad manducandum? Turbabātur non potentes sermoni credere, quòd hoc impossibile uideretur. Nā quum omnia secundum naturam inquirerent, nihil quod supra naturam erat, admittebāt. Dixit ergo eis Iesus, Amen amen dico uobis, nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Illi quidem hoc impossibile iudicabāt, ipse uerò omnino possibile ostēdit, neque id tantum, sed etiam necessarium, quod etiam fecit ad Nicodemum. Addit autem & de sanguine, significans de pane ac poculo, quæ (ut dictum est) daturus erat discipulis in ultima cœna. Euthymius in Ioannem, cap. 9.

Caro mea uerus est cibus, & sanguis meus uerus est potus.) uerus est cibus, siue aptissimus, ut pote animā, quæ propriissima hominis pars est nutriens, & similiter de sanguine. Aut hoc dixit, confirmans quòd non ænigmaticè, neque parabolicè loqueretur, Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. In me manet, unitur mihi per transumptio-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

nem, & communicationem meę carnis, meique sanguinis, & unum corpus mecum efficitur, ac particeps vitę quę in me est. Quod si ille in me est, utique & ego in illo. Euthymius in Ioannem, cap. 9.

Ioan. 6.

Si ergo uideritis filium hominis eō ascendentē ubi prius erat.) Deficit, quid dicetis? Loquitur autem de futura in cælum assumptione. Ascendentem, quo ad humanitatē: ubi prius erat, quo ad diuinitatem. Qui enim potest hanc carnem reddere cælestem, potest utique & ipsam cibum hominū efficere. Euthymius in Ioannem, cap. 9.

Ioan. 6.

Spiritus est qui uiuificat, caro nō prodest quicquam.) Spiritum nunc uocat intellectum spirituales, eorum quę dicta sunt. Similiter & carnem, intelligere ea carnaliter: non enim de carne ipsius quę uiuificat nunc sermo est. Ait ergo, hæc spiritualiter intelligere, uitam præbet quam supra dixi: carnaliter uerò ea intelligere, non prodest quicquā. Verba quę ego loquor uobis, spiritus & uita sunt, spiritualia & uiuifica sunt. Oportet nanque non simpliciter ea intueri, id enim est carnaliter intelligere, sed aliud quippiā imaginari, & interioribus oculis ea aspicere tanquam mysteria, nam hoc est spiritualiter intelligere. Euthymius in Ioannem, cap. 9.

Exod. 12.

Quid nanque fit sanguis agni nō iam audiendo, sed bibēdo didicistis: qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando nō solum ore corporis,

poris, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poste sanguis agni est positus, quando sacramentum passionis illius, cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intēta mēte cogitatur. Nam qui sic redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem illius necdum uelit, in uno poste sanguinē posuit, qui etiam in superliminaribus domorum ponendus est. Gregorius, Homil. Paschali 22.

Et edent carnes nocte illa assas igni. In nocte quippe agnum comedimus, quia in sacramento modo dominicum corpus accipimus, quando adhuc adinuicem nostras conscientias non uidemus. Gregorius, Homilia Paschali 22. *Exod. 12.*

Virtus ergo humanitatis eius uelut testa exaruit, quia ab igne passionis, ad uirtutem incorruptionis creuit: sed sola redemptoris nostri percepta sacramenta ad ueram solennitatē mentis nō sufficiunt, nisi eis quoque & bona opera iungantur. Quid enim prodest corpus & sanguinem illius ore percipere, & ei peruersis moribus contraire? Gregorius, Homilia Paschali 22. *Psal. 21.*

Lactucæ uerò agrestes amaræ sunt. Carnes ergo agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, ut cum corpus redēptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ, abstergat à mentis stomacho peruersæ humorem uitæ. Gregorius, Homilia Paschali 22. *Exod. 12.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Rom. 6. Mittamus ad hunc, ut diximus, legationē nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerēdo. Singulariter nanque ad absolutionem nostram, oblata cum lachrymis & benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se resurgens à mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio, pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiā suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionē nostram, passionem illius reparamus. Gregorius, Homilia 37.

Iob. 31. Si non dixerūt uiri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius ut saturemur?) Quæ nimirum sententia, potest quoque per mysterium ex uoce redemptoris intelligi. Viri quippe eius tabernaculi de carnibus illius saturari cupierunt, uel Iudæi scilicet persequentes, uel gentiles credentes: quia & illi moliti sunt corpus illius, quasi confundendo extinguere: & isti esurientem mentem desiderant, quotidianæ immolationis sacrificio, de eius carnibus satiari. Gregorius in Iob, lib. 22. cap. 11.

Iob. 16. Vnde factū est ut redemptoris nostri sanguinem, quem persecutores sequentes fuderāt, postmodum credentes biberent, eumq; esse Dei filiū prædicarent. De quo uidelicet sanguine subiungitur: Terra ne operias sanguinē meum, nec inueniat in te locum latendi clamor meus. Peccanti homini dictū est, Terra es, & in terrā ibis: quæ scilicet terra, redemptoris nostri sanguinem nō abscon-

Grego.

abscondit, quia unusquisque peccator redemptionis suæ precium sumens, confitetur ac laudat, & quibus ualet, proximis innotescit. Gregorius in Iob, lib. 13. cap. 11.

Notandum quod subditur, Neque inueniat in te latendi locū clamor meus. (Iob. 16.) Ipse enim sanguis redemptionis qui sumitur, clamor nostri redemptoris est. Vnde etiā Paulus dicit, Et sanguinis asperisionem melius loquentem quā Abel. De sanguine Abel dictū fuerat, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: sed sanguis Iesu melius loquitur quā Abel, quia sanguis Abel mortem fratricidæ fratris petiit, sanguis autem Domini uitā persecutoribus impetrauit. Vt ergo in nobis sacramentum dominicæ passionis non sit ociosum, debemus imitari quod sumimus, & prædicare cæteris quod ueneramur. Gregorius in Iob, lib. 13. cap. 12.

Sola quippe (Ecclesia) est, per quam sacrificiū Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiā de agni hostia Dominus præcepit dicens, In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras. In una nanque domo agnus comeditur, quia in una Catholica Ecclesia, uera hostia redemptoris immolatur: de cuius carnibus diuina lex efferri foras prohibet, quia dari sanctum canibus uetat. Gregorius in Iob, lib. 35. cap. 6.

Nouit Deus humanam infirmitatem, quòd

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

complura usu non trita auersatur, molestè ferēs. Assueto igitur condescensu usus, per consueta naturæ ea facit, quæ sunt super naturam. Et quemadmodum in baptisate, quia cōsuetudo est hominibus, aqua lauari & oleo ungi, cōiunxit oleo & aquæ gratiam spiritus sancti, & fecit illud lauacrum regenerationis: hunc in modum quia mos hominibus est panem māducare, & uinum & aquam bibere, coniunxit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hæc suum corpus & sanguinē, ut per assueta, & quæ sunt secundum naturam, in his quæ sunt super naturam, collocemur. Corpus enim secundum ueritatē coniunctum est diuinitati, quod ex sancta Virgine corpus est: non quòd corpus assumptum ex cælo descēderit, sed quòd ipse panis & uinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei. Si autem modum requiris, quonam pacto fit, fat sit tibi audire quoniã per spiritum sanctum, quemadmodum ex sancta Deipara sibi ipsi, & in seipso Dominus carnē sustētauit. Et nihil amplius cognoscimus, quàm quod uerbum Dei uerum est & efficax, & omnipotens, modus autem inscrutabilis. Damascenus, lib. 4. cap. 14.

Non est figura panis & uinū, corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente: *Mat. 26.* Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus: & non figura sanguinis, sed sanguis: Et ante hoc
ipsis

ipsis Iudeis, Quoniam nisi manducaueritis car- *Ioan. 6.*
nem filij hominis, & biberitis eius sanguinem,
non habebitis uitam æternam: caro mea uerus
est cibus, & sanguis meus uerus est potus. Da-
mascenus, lib. 4. cap. 14.

Proinde omni cum timore, & conscientia pu-
ra, & indubitabili fide accedamus, & omnino
fiet nobis quemadmodum credimus non dubi-
tates, & ueneremur ipsum omni puritate animi
& corporis. Accedamus ei desiderio ardenti, ma-
nus in crucis modum formantes, crucifixi cor-
pus suscipiamus. Et apponentes oculos & labia
& frontem, diuinum carbonem cõcipiamus: ut
ignis in nobis desiderij, assumens eo ex carbone
ignitionem, comburat peccata nostra, & illumi-
net corda nostra, & participatione diuini ignis
igniamur, & deificemur. Damascenus, libro 4,
cap. 14.

Carbonẽ uidit Esaias. Carbo autem simplex *Esa. 6.*
non est, sed unitus igni: sic panis communionis
non panis simplex est, sed unitus diuinitati. Et
corpus unitum diuinitati, non una ac eadem illi
natura est, sed una corporis, unitæ diuinitatis al-
tera: quare amborum simul non una natura est
sed duæ. Damascenus, lib. 4. cap. 14.

Exemplaria autem futurorum dicuntur, non
ut non existentia uerè corpus & sanguis Christi:
sed quoniam nũc quidem per ipsa participamus
Christi diuinitate, tũc autem intelligibiliter per

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

solam uisionem. Damascenus, lib. 4. cap. 14.

I. Cor. II.

Accipe & perceptionem illibatorum Christi mysteriorum, & crede in ueritate corpus & sanguinē esse Christi Dei nostri, quem dedit fidelibus in remissionē peccatorum. Nam nocte qua tradendus erat sanctis suis discipulis & Apostolis, & per eos omnibus in se credituris, dixit: Accipite & māducate, hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur in remissionē peccatorum.

Mat. 26.

Similiter & calicem accipiens, dedit eis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro uobis effundetur: hoc facite in meam commemorationem. Ipse est enim Dei sermo uiuus & efficax, & omnia uirtute sua peragens, facit & conuertit diuino uerbo suo panis & uini oblationem, in corpus & sanguinem, superueniente spiritu sancto, in sanctificationem & illuminationem, cum deuotione percipientium. Damascenus in historia duorum militum.

Porro dicens, Hoc est corpus meum, ostendit quod ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altario, & non respondens figura. Nō enim dixit, hoc est figura, sed hoc est corpus meum: Ineffabili enim operatione transformatur, etiam si nobis uideatur panis, quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maxime hominis carnem, & ideo panis quidem apparet, sed caro est. Theophylactus in Matth. cap. 26.

Quum

Quum benedixisset, hoc est gratias egisset, fregit panē: id quod etiam nos facimus, preces adiungendo: Hoc est corpus meum, hoc inquam quod nunc sumitis. Non enim figura tantum, & exemplar quoddam dominici corporis panis est, sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi:

Dominus enim dicit, Panis quem ego dabo caro mea est: non dixit figura est carnis mee, sed caro mea est. & iterum, Nisi ederitis carnem meam. Theophylactus in Marcum, cap. 14. *Ioan. 6.*

Attēde autem quòd panis qui à nobis in mysteriis manducatur, non est tantum figuratio quaedam carnis Domini, sed ipsa caro Domini: non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura est carnis, sed caro mea est. Transformatur enim arcanis uerbis panis ille, per mysticam benedictionem & accessionem sancti spiritus, in carnem Domini. Et ne quem conturbet quòd credendus sit panis caro: etenim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat, iuxta humanum morem: Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Theophylactus in Ioannem, cap. 6.

Oportet igitur nos quum audiuerimus, Nisi ederitis carnem filij hominis, non habebitis uitam, in sumptionibus diuinorum mysteriorum indubitata[m] retinere fidem, & nō quærere quo *Ioan. 6.*

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

I. Cor. 2.

paçto: Nã animalis homo, hoc est, qui sequitur cogitationes humanas & animales, nõ est capax eorum quæ sunt super naturã, & spiritualium. Atque ita & spiritualem esum carnis dominicæ non intelligit, cuius qui non sunt participes, non erunt participes æternæ uitæ: eo quòd nõ susceperũt Iesum, qui est uita æterna. Non enim nudi hominis caro est quæ manducatur, sed Dei, & quæ deificare ualet, utpote contemperata deitati. Theophylactus in Ioannem, cap. 6.

I. Cor. II.

Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: nec sanè ob mysteriorum naturam id dixerim, quippe quæ uitam in se & habent & largiuntur, sed ob mysteria adeuntium indignitatem, quibus haud secus illa officiunt, ac solet oculorum ualitudine laborantibus, sol ipse obiectus officere. Theophylactus in Paulum. I. Corinth. II.

De adoratione, ueneratione, reuerentia, & honore corporis Christi in Eucharistia.

Sed ô diuinum penitus, sanctúmque mysteriũ, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiẽs, nobis palam atque aperte luceste, nostrósque spirituales oculos, singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple. Dionysius Ecclesiasti. Hier. Specul. cap. 3.

Leuit. 7.

Cum timore & honore Eucharistiã accipientiam. In Leuitico, Anima autem quęcunq; manducauerit

ducauerit ex carne sacrificij salutaris, quod est Domini, & immunditia eius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo. Item in epistola ad Corinthios. I. Quicūque ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Cyprianus ad Quirinum, lib. 3. cap. 94. I. Cor. II.

Et ideo quia corpus assumptū ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus: necessarium erat ut nobis in hac die, sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret: ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Vt quia quotidiana & indefessa currebat pro hominis salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio: & perennis illa uictima uiueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Eusebius Emisenus, Oratione de corpore Domini.

Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non discernens corpus Domini. Deuoto animo & cum timore accedendū ad communionem docet, ut sciat mens reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumēdum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est cuius in mysterio sanguinē potat, qui testis beneficij Dei: quē nos si cum disciplina accipiamus, non erimus indigni corpore & sanguine Domini, gratias enim uidebimur reddere redēptori. Ambrosius in epist. I. ad Cor. II. I. Cor. II.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Nolimus obsecro, nolimus impudentes nos ipsos interimere, sed cum honore & munditia omni ad Deum accedamus, & quando id propositum uideris, dic tecum, propter hoc corpus nō amplius terra & cinis ego sum, non amplius captiuus, sed liber: propter hoc, cælum & ea quę in eo bona sunt, me accepturū spero, propterea immortalē uitam, angelorum sedem, Christi consuetudinē. Chrysof. in epist. 1. Cor. 10. Hom. 24.

Mat. 2.

Hoc corpus in præsepi reueriti sunt magi, & uiri impij & barbari longo itinere cōfecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur barbaros saltem eos, qui cælorū ciues sumus. Chrysof. in epist. 1. Cor. 10. Hom. 24.

Magi cū id præsepe & tugurium tantū, neque eorum quicquam quæ tu nunc intueris, uiderent, summa accesserūt reuerētia & horrore: Tu uerò non in præsepi id sed in altari, nō mulierem quæ in ulnis teneat, sed sacerdotem præfentem, & spiritum perabundè super posito diffusum sacrificio uides: nec simplex, ut illi, corpus intueris, sed & eius potētiam & omnem cognoscis administrationem, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur horrescamusque, & maiorem quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem. Chrysof. in epist. 1. Corinth. 10. Hom. 24.

Qui suprà unà cū patre sedes, & hic unà nobiscum

biscum inuisibiliter uersaris, dignare potēti manu tua nobis impartiri impollutum corpus tuū, & preciosum sanguinem, & per nos toti populo. Deinde sacerdos adorat, & diaconus in eo in quo est loco, ter mysticè dicētes, Deus propitius esto mihi peccatori: & populus similiter, omnes cum pietate & reuerentiā adorant, &c. Chryso-
stomus in missa.

Neque enim frustra ita distincti sunt, ut de pauperibus suprā diceretur, Edent pauperes & saturabuntur: hic uerò, manducauerunt & adora-
uerunt omnes diuites terræ. Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius, sed adorant tantū, non etiam saturantur, quoniam non imitantur: manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes, quia Christus pro nobis passus, relinquens
nobis exemplū ut sequamur uestigia eius. *1. Pet. 2.*
August. Honorato Epist. 120.

De sacramento sanè quod accepit, cūm ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum diuinarum esse uisibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodū habetur in usu quolibet. Dicēdum etiam quid significet, & sermo ille quem audiuit: quid in illo condatur, cuius illa res similitudinem gerit. August. de Catechizandis rudibus, cap. 26.

Quomodo ergo comparas panem & calicem.

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

nostrum, & parem religionē dicis, errorem longe à ueritate discretum? peius desipiēs quàm nōnulli, qui nos propter panem & calicem, Cere-rem & Liberum colere existimant. Augustinus contra Faustum, lib. 20. cap. 13.

Psal. 21.

Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ: manducauerūt corpus humilitatis Domini sui, etiam diuites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt usque ad imitationem, sed tamen adorauerunt, Augustinus in Psal. 21.

Suscepit enim de terra terrā, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsā nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat nisi prius adorauerit: inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellū pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Augustinus in Psal. 98.

Ioan. 6.

Ille autem instruxit eos, & ait illis, Spiritus est qui uiuificat, caro autē nihil prodest: uerba quæ locutus sum uobis, spiritus est & uita. Spirituallyter intelligite quod locutus sum: Non hoc corpus quod uidetis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fufuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod uobis commendaui, spiritualiter intellectū uiuificabit uos: & si necesse est illud uisibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi. August. in Psal. 98.

Neque

Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura, manent enim in prior substantia, & figura & forma, & uideri & tangi possunt sicut & prius: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur. Theodoretus in dialogo 2.

Quid facis homo indigne? quid facis homo ingratus? Adora deuotius, & recale frequētius in sacramento altaris, salutem mundi pro te passam, uitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatere capiti tuo: si frater Christi es, cōmorere fratri tuo, &c. Bernardus, Sermone in Cœna Domini.

De reseruatione Eucharistiæ.

Nunquã tamen ob hoc repulsi sunt ab Ecclesiæ societate, aut uenientes ab illis partibus, non sunt suscepti: imo potius & omnes presbyteri qui fuerunt ante te, omnibus semper qui non ita obseruabant presbyteris Ecclesiarum, Eucharistiam solenniter transmittebãt. Irenæus. refertur ab Eusebio historiæ Ecclesiast. lib. 5. cap. 22.

Nonne solennior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini & reseruato, utrumq; saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij. Tertull. de Oratione.

Cum quædam arcam suam in qua Domini

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Cypri. de lapsis.

Omnes enim qui in eremis monasticam agunt vitam, ubi non est sacerdos, communionem domini retinentes, à seipsis illam accipiunt. In Alexandria uero & in Aegypto, unusquisque etiam eorum qui in populi numerum referuntur, ut plurimum tenet communionem in domo sua. Basilius in epistola ad Cæsariam Patriciam.

Postquam enim sacerdos sacrificium semel consecrauit & dedit, rectè illud se & decèter participare, & suscipere debet credere. Etenim & in ecclesia sacerdos tradit partem, & qui accipit retinet illam pro arbitratu, & illam adhibet ori suo propria manu. Idem itaque est uirtute siue unam partem accipiat quispiam à sacerdote, siue multas partes simul. Basilius ad Cæsariam Patriciam.

Nec ego dico presentibus episcopis, atque altaribus altari, presbyteros posse sacramenta conficere, sed si fortè usus exegerit, ut ueniētes ad ecclesiam sacerdotes, eisdem horis quibus aut oblatio parata non sit, aut non possit offerri, non debere episcopum repudiare eucharistiam presbyterorum, si ponatur in altari: quam accipi oportet propter Christum, quoniam corpus Christi est. Hieronymus de septem ordinibus, gradu. 6.

Anthimo (ut mihi relatum est) è throno eiectō, Epiphanius episcopatum suscipit: rursus
post

post Epiphanium Menas, sub quo miraculū factum est multo sermone dignum. Consuetudo uetus obtinuit, quādo multum sanctarum partium immaculati corporis Christi Dei nostri remanserit, ut pueri tenelli qui ad ludimagistros ire solebant, aliqui aduocentur, & eas comedāt. Euagrius in Ecclesiastica historia, lib. 4. cap. 36.

Ex testimoniis suprā citatis manifestè cōtueri licet, ab ipsis nascētis ecclesiæ incunabilis, per omnes omnium ætatum gradus, ecclesiæ catholicæ fidem semper hanc fuisse, Nempe quòd in Eucharistia non in sola figura, aut nuda significatione, sed in rei ueritate esset uerum corpus, & uerus sanguis Christi. Id quod ab ipsis Apostolorum temporibus, ubique, semper, & ab omnibus est creditum, nec ullum de ea re inter orthodoxos ecclesiæ filios per annos mille fuit unquam dissidium, quin his Christi uerbis, uidelicet, Hoc est corpus meū, quod pro uobis datur: hic est sanguis meus, qui pro uobis funditur, per sacerdotem ecclesiæ ministrum super panē triticeum, & uinum aqua mixtum animo consecrandi prolatis, consecrata foret eucharistia, in qua re ipsa uerè esset spirituale & diuinum corpus & sanguis Christi. Sicque ecclesia ueritatis colūna, à spiritu sancto & ab Apostolis edocta, uerba illa Christi, sensu ut significant proprio, absque omni tropo intellexit. Nec ulla unquam Christiana regio aliter docuit, neque ulla homi-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

*Sapient. 1.
Psal. 67.*

num ætas nõ ita sensit, nec ullus Christianorum cœtus aliud prædicavit. Spiritus enim Domini qui replet orbem terrarum, quique habitare facit in ecclesiæ domo unanimes, sensum illum semper immutatum inuiolatúmque; in ecclesia continuit. Cuius rei copiosos testes ex Europa, ex Asia, ex Africa produximus: atque eos ipsos uetustissimos, celeberrimósque & nominatissimos Christi præcones: nempe ex Asia Ignatium, Iustinum philosophum & martyrem, Basiliũ, Gregorium Nazianzenum, Eusebium Cæsariensem, Eusebium Emisenum, Ioannem Chrysoptomũ, Epiphaniũ, Gregorium Nyssenum: Ex Africa, Athanasium, Theophilum, Cyrium, Tertullianum, Cyprianum, Augustinum: ex Europa, Irenæum, Leonem, Gregorium, Hilarium, Ambrosium, Hieronymũ, Remigium episcopum Remensem, Arnobium: ex toto orbe ipsum Concilium Nicenum, quod ex uniuersis orbis partibus collectum est contra Arium: itidem Concilium Constantinopolitanum contra Macedonium, Ephesinum primum contra Nestorium, Calcedonense cõtra Euthycen. Quibus quatuor cõciliis, nõ minorem uenerationem quàm quatuor sanctorum euangeliorum libris, Gregorius pontifex Romanus habendam existimauit. Ceteros uerò testes suprã citatos, iterum recensere hic supersedeo. At si qui Christo aduersantes, maligno spiritu ducti, huic ueritati opponere se pro-

proteruè audent, sacra Christi uerba peruersè in cerebri sui sensum torquentes, omnino reiiciendi sunt uelut ecclesiæ desertores, & lumine uerbi Dei semetipsos fraudantes. Huius insuper fidei testis est ipsa Christi sponsa, quæ spiritu sancto regitur, nimirum Ecclesia catholica, cuius quãta sit authoritas, ipsum Irenæum audiamus, libro tertio sic scribentem.

In ecclesia enim, inquit, posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores, & uniuersam reliquã operationem spiritus: cuius non sunt participes omnes, qui non cõcurrunt ad ecclesiam, sed semetipsos fraudant à uita per sententiã malam & operationem pessimã. Vbi enim Ecclesia, ibi & spiritus: & ubi spiritus Dei, illic ecclesia & omnis gratia, spiritus autẽ ueritas. Quapropter qui non participant eum, neque à mamillis matris nutriuntur in uitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontẽ, sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, *Hier. 2.* & de cœno putridam bibunt aquam, effugientes fidem ecclesiæ ne traducantur, reiicientes uerò spiritum ut non erudiantur: alienati uerò à ueritate, dignè in omni uoluntatur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eisdem sentientes, & nunquã scientiam stabilẽ habentes.

Tigurini autem ab hac Irenæi doctrina se subducentes, tribuunt id totum scripturæ, quod ecclesiæ catholicæ tribuendum est, sic scribentes:

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

Et quia scriptura Dei uerbum est, per sese & in sese abundè satis fidei, authoritatis, certitudinis, ueritatis, æstimationis, & perfectionis habet: ita ut non per ecclesiam demum, uel humani testimonij authoritatem authentica reddi, uel humanis traditionibus compleri & absolui debeat. Hæc Tigurini.

Cæterū quia scriptura ipsa muta est, & aliud loqui nescit, nisi quod prolati libri ostentant, atque ecclesiæ aduersarius quisque è cerebro suo adulterinum effingēs sensum, scripturam pro se rapit, ideo Tertullianus in libro de præscriptionibus aduersus hæreticos, inquit: Ergo non ad scripturas prouocādum est, nec in his cōstituen- dum certamen, quibus aut nulla, aut incerta uictoria est, aut parum certa. Nam etsi nō ita euaderet collatio scripturarum, ut utranque partem parem sisteret, ordo rerū desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa, à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani, &c. Deinde infert Tertullianus, Christum esse à quo manauit Christianorū disciplina, qui tamen nullā noui testamenti scripturam, abiens in cælum reliquit, sed Apostolis & discipulis prædicanda, quæ docuerat commisit, qui iussa complentes fundarunt ecclesias, à quibus cuncta in posterum petenda essent. In ipsis uerò spiritus paracletus, qui est spiritus ueritatis, manet in æternum, uti Christus promi-
sit.

fit. Ioan. 16. & docet eas omnem ueritatem.

Irenæus etiã lib. 3. cap. 4. Quid enim & si qua de aliqua modica quæstione disceptatio esset? Nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsentis quæstione sumere, quod rectum & rei liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his quibus committebant ecclesias? Hactenus Irenæus.

Augustinus quoque in epistola contra Manichæum cap. 5. inquit: Ego uerò euangelio non crederem, nisi me catholicæ ecclesiæ commoueret authoritas. Quibus ergo obtemperauis dicentibus, Credite euāgelio, cur eis non obtemperem dicentibus, Noli credere Manichæo?

Et idem contra Cresconium, lib. 1. cap. 33. Hoc facimus quod uniuersæ iam placuit ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas, & sancta scriptura fallere nō potest. Quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem ecclesiã de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.

Iam uerò si scriptura nihil authoritatis ab ecclesia sumit, ut uolunt Tigurini, cur euangelia Barnabæ apostoli, Thomæ, & Bartholomæi, & alia Apocrypha, quæ se scripturæ nomine uenditant, reuicimus: & sola quatuor euāgelia, Mat-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

thæi, Marci, Lucæ, & Ioannis, ab ecclesia catho-
lica probata recipimus.

Hieronimus autem de scriptura tractans, nō
superficiem uerborum respiciendam, sed magis
sensem eius inuestigādum atque attendendum
censet, inquit super epistolam ad Galatas,
lib. 1. cap. 1. Nec putemus in uerbis scripturarum
esse euangelium, sed in sensu, non in superficie,
sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in ra-
Mich. 2. dice rationis. Dicitur in Propheta de Deo, Ser-
mones eius boni sunt cum eo: tūc scriptura uti-
lis est audientibus, cū absque Christo non di-
citur, cum absque patre non profertur, cum sine
spiritu non eam insinuat ille, qui prædicat. Alio-
quin & diabolus qui loquitur de scripturis, &
Ezech. 13. omnes hærefes, secūdum Ezechielē inde sibi cō-
suunt ceruicalia, quæ ponāt sub cubito uniuersæ
ætatis, ad capiendas animas.

Atque in eadem epistola, lib. 3. cap. 5. sic scri-
bit: *αἰρεσις* autē Græce ab electione dicitur, quòd
scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinā,
quam putat esse meliorem. Quicumque igitur a-
liter scripturam intelligit, quàm sensus spiritus
sancti flagitat, quo cōscripta est, licet de ecclesia
non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

Idem etiam aduersus Luciferianos ait, In illa
ecclesia permanēdum est, quæ ab Apostolis fun-
data, usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris
eos qui dicuntur Christi, nō à Domino Iesu Chri-
sto, sed

sto, sed à quoquam alio nuncupari: ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campates, scito non ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogã. Ex hoc enim ipso quòd postea instituta sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis uidentur sibi affirmare quod dicunt, cum & diabolus de scripturis aliqua sit locutus, & scripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistant.

Consentit cum his Vincentius Lirinensis uir admirandi acuminis, & non minoris eloquentiæ, qui Theodosio & Valentiniano regnãtibus floruit ante annos mille, in libro suo aduersus profanas hæresum nouitates, inquit: In ipsa item catholica ecclesia magnopere curãdum est, ut id teneamus quod ubiq;, quod semper, quod ab omnibus creditũ est: hoc est etenim uerè proprièq; catholicum (quod ipsa uis nominis ratioque declarat) quæ omnia uerè uniuersaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur uniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem uniuersitatem hoc modo, Si hãc unam fidem uerã esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia: antiquitatem uerò ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa uetustate omnium, uel cer-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

tè penè omnium sacerdotũ pariter & magistrorum definitiones sententiãque sectemur.

Ac postea doctores cum ecclesia consentientes recipiendos docet, nõ cum doctoribus fidem deferendam, dicens: Magna profecto res, & ad discendum utilis, & ad recolendum necessaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illustrare, atq; inculcare debemus, ut omnes ferè catholici nouerint se cum ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus, ecclesiæ fidem deferere debere.

Denique quis sit uerè germanus Christianus, sic nos admonet, inquiens: Ille est uerus & germanus & catholicus, qui ueritatẽ Dei, qui ecclesiam, qui Christi corpus diligit: qui diuinæ religioni, qui catholicæ fidei nihil præponit, nõ hominis cuiuspiam autoritatẽ, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, nõ philosophiam: sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus, stabilis permanens, quicquid uniuersaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum credendumque decernit. Quicquid uerò ab aliquo deinceps uno præter omnes, uel contra omnes sanctos, nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionẽ, sed ad tentationem potius intelligat pertinere. Tum præcipuè beati apostoli Pauli eruditus eloquiis, hoc est enim quod in prima ad Corinthios scribit: Oportet, inquit, & hæreses esse, ut

pro-

probati manifesti fiant in uobis. Ac si diceret: Ob hoc, inquit, hærese non statim diuinitus eradicantur authores, ut probati manifesti fiant, id est, unusquisq; quàm tenax & fidelis, & fixus catholicæ fidei sit amator, appareat.

Porro ubi non per humani testimonij fidem, scripturam authenticam reddi debere Tigurini inquirunt, utinam uerbis suis starent, & non sui obliti, tã pertinaciter assererent eum sensum esse scripturæ, quẽ ipsi ex suo penu tametsi repugnãtem cõmuni & recepto sensui ecclesiæ, quisque promunt, spreta penitus ecclesia, à qua descierunt. Sed ea nũc est ecclesiæ miserãda cõditio, sic undiq; ab hæreticis cõtemptę, sic nihili pensæ, ut ferè hac tẽpestate nulli inueniãtur, quantumuis sine mēte sint, qui nō sua infana diliramēta, sanctæ matris ecclesiæ iudicio præferãt. Quorũ turgēs malitia tãta est, ut odio prosequãtur omnes, nō suæ farinæ homines. Ignorantia uerò tã profunda eius disciplinæ, quæ ad Christianismum pertinet, ut Ethnici uideri possint potius quàm tincti Baptismo. Hanc autē ignorãtiam, summa arrogantia suppleant: qua sese ostētantes, nihil in diuina lege ignorare uideri uolunt. Quòd si catholica ueritas ab eis ignorata, ab erudito quopiã in lege Domini prolata, caput exerat: tũ effrons istorũ impudētia sese profert, ut nihil pudeat in aperto deprehendi mendacio, sed falsa pro ueris uelut oracula diuina amplectētes, densa multo-

DE VERIT. CORP. ET SANG. DO.

rū rotantiū uerborū umbra tueri se conantur, ne in ueritatis lucem protracti, cogantur cū rubore cedere. Id autē faciunt ne alterius cuiusquā iudicio quàm suo se subiiciāt: nā dum suum sensum quo latebras sibi quærūt, arrogāter quisque tuetur, ecclesiæ iudiciū, ne hæreseos arguantur, non minus quàm uiperæ morsum fugiunt.

Cæterum dum id moliuntur, operam omnem perdunt, frustra se fatigantes. Porrò incidunt in Scyllā, cupientes uitare Carybdim, uidelicet recedentes ab ecclesia, ipsi contra se sentētiam ferūt. Nam hæreticum hominem proprio iudicio cōdemnatum, Paulus apostolus asserit. Et Ioannes in epistola inquit: Ex nobis exierunt, sed nō erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.

Itaq; eiusmodi homines dura ceruice contentioni semel addictos, uitādos esse Paulus admonet inquiēs, Hæreticum hominem post admonitionem unā & alterā deuita: idq; ideo, ne forte colloquia mala, bonos mores cōtagione corrūpant: nā sermo eorū ut cancer morbus serpit.

Quantopere igitur deplorādi sunt, qui eò impudentiæ prouehuntur, ut Christi filij Dei & hominis uerba non operatoria, & efficaciam secum afferentia esse putent, sicut Dei qui omnia ea in ueritate subsistere facit, quæ uerbi sui omnipotētia talia ipsa esse affirmat, sed tantum enunciativa uerba illa esse opinātur, ueluti cuiusuis tan-

tum

Tit. 3.

1. Ioan. 2.

Tit. 3.

1. Cor. 15.

2. Tim. 2.

tum hominis, nihil diuinum efficere ualētis, qui res, ut quasq; reperit, propriis ipsarū uocabulis indicat, quas trāsmutare nequit. Quæ nimirum infania eò illos perducit, ut nihil nisi inanē figurā absentis Christi corporis, Eucharistiā esse doceant. Itaq; nec uniuersitatē orbis cōtrā sentientis reformidant, neq; uenerātur cōtrariæ sententię antiquitatē, nec sanctorum eruditorūmq; patrū consensionem reuerentur, sed post uana sua somnia cæcutientes, in ignorantia tenebris pergūt. Sed quid facias ut istos suis deliramētis cōfidentes, aberrātes in uiam reuoces? Si scripturas secūdum rectū primitiue ecclesiæ sensum obicias, illi se solos sapere existimātes, in suum sensum eas torquent, te uerò toto cælo errare cōtendunt. Si ratione decertare cum his instituas, miros academicos nouo more sese ostētant, in omnem partē tecū disceptare parati. Si hortari uelis, ut sui memores ab errore resipiscāt, ac ad sanctam ecclesiam redeant: illi contrā te admonere non uerētur, ut tu sprete uetustatis tenebrosa caligine (sic enim proteruè loqui non formidant) nouā nunc splendentis euangelij lucem amplectaris. Ita inter uos dum alter uestrū ædificat, alter destruit: & tu illum in lucem protrahis, ille te cōtrā in tenebras retrahit, irritus perit utriusque labor. Quid ergo germanis filiis superest, quando humana omnia auxilia deficiunt, nisi ut ad Christum qui pro persecutibus & calumniari-

Mat. 5.

tibus orare iubet, confugiant, atque precentur,
ut ecclesiam suam tantis turbinibus uexatā, tam
diris procellis agitatum, tam fæuis fluctibus sic
undique cōquassatam: ut ab his obrui in profun-
dum penè periclitetur, ipse solus qui succurrere
potest, seruare dignum ducat, donētq; spōsæ suæ
Ezech. II. ecclesiæ hostibus faniolem mētem, ne amplius
eam uexantes infestare pergant, sed lapideis cor-
dibus in corda carnea cōmutatis, errore demum
agnito, pœnitundine ducti ad tranquillum catho-
licæ fidei portū, cursum uitę dirigentes, tandem
Mat. 4. deposita pertinacia, in placido sinu sanctæ ma-
tris ecclesię conquiescant. Is enim solus potest id
præstare, qui dormiens in nauicula periclitante
fluctibus à discipulis excitatus, æstuans mare &
uētos fæuientes increpans, tacere & obmutescere
iussit, ac uerbo dumtaxat magnam tranquil-
litatem reddidit. Ita demum errantibus ouibus
à noxiis pabulis ad pascua uitæ reductis, à bono
Ioan. 10. illo pastore, qui animam suam posuit pro oui-
bus suis, fiet unius gregis unum ouile & unus pa-
stor Iesus Christus, Cui cum patre & spiritu san-
cto, est gloria & potentia regnūque & impe-
rium in æternum per omnia secula. Amen.

Hoc opus ab authore absolutum est, Anno
ætatis suæ septuagesimo septimo, qui
fuit annus Domini 1551.

HYMNVS IN LAVDEM IESV

ab eodem authore carmine in-
condito editus.

Iesu præconia quis tibi sedula,
Condigna innumeris tot beneficiis,
Omnem quæ superant longe facundiam,
Mortali poterit ore rependere?

Tu Dei filius, tu sapientia,
Tu sermo uiuidus, per quem sunt condita
Quæcunque facta sunt, cuncta cælestia,
Cuncta terrestria, cuncta quoque infera.

Ioan. 1.

Nos ut redimeres, lapsus in Mariæ
Virginis uterum, sic homo factus es
Vt nos qui morimur: sed sine femine
Virili es editus, nec culpæ obnoxius.

Luc. 1.

Te postquam natus es, in cunis positum
Per stellam præuiam uestigant reguli,
Inuento procidunt illico supplices,
Aurum, thus, Myrrhámque munera deferunt.

*Mat. 1.**Mat. 2.*

Ter denis latuit annis diuinitas
Clausa sub homine, mox ubi lauacro
Baptismi tinctus es Dei patris filius,
Miranda cæteris edis miracula.

Luc. 3.

Vinum in nuptiis ex aqua conficis,
Mirantur hydriæ saporem uincum.

Ioan. 2.

Tu uentis imperas, ut mare deferant.

Mat. 8.

Tu siccis pedibus fluctus obambulas.

Mat. 14.

Surdis ut audiant, aures adaperis.

Mar. 7. 9.

HYMNVS AVTHORIS

- Mat.* 9. 15. Das mutis eloqui singula promptius.
- Ioan.* 9. Cæcos, ut uideant, iussu restituis:
- Ioan.* 4. Claudos, ut rectius protinus ambulent.
- Mat.* 4. 8. Languores effugas omnibus illico,
- Ioan.* 4. Quos ægros repperis curas à febribus,
- Luc.* 5. 17. Leporam mundificas, firmas paralyfim:
- Mar.* 5. Pellis dæmonia, mortuos excitas.
- Ioan.* II. Tu paucis panibus atque pisciculis,
- Mat.* 14. Multorum millium pellis inedia.
- Luc.* 8. De fluxu sanguinis fœmina eripitur,
Contactu fimbriæ, dum nihil hæsitat.
- Ioan.* 18. Iesu mitissime, te leges cælicas
Dantem mortalibus, ut nos innoxios
In cælum scandere cunctos efficeres,
Iudæi capiunt, sistunt pontifici.
- Mat.* 26. Ibi tu testibus argutus plurimis,
- Mar.* 14. Quòd templum Solymis te posse diceres
Destructum extruere, cùm tu de corporis
Templo prædiceres, & non de faxeo.
- Ioan.* 2. Ibi tu cæsus es temere colaphis.
- Luc.* 22. In facram faciem rabidè conspuunt:
- Mar.* 14. Pòst ubi illusus es, te tradunt præfidi
- Mat.* 27. Pilato, grauia nectentes crimina.
- Te leges soluere, te ceremonias,
- Luc.* 23. Te regnum cupere, spernere Cæsarem,
Infani sanguinem dum sibi sitiunt,
Certatim te cruci configi postulant.
- Præses furentibus tum cedit trepidus,
Plectendum rapiunt te iussi milites,

Te flagris lacerum ueste purpurea
Circundant, in manus addunt arundinem.

*Mar. 15.**Mat. 27.*

In caput ingerunt coronam spineam,
Et flexis genibus, salve Rex, inquit.
Educunt Solymis, populus affluit:
Gestat patibulum Simon Cyrenæus.

Affixum te cruci protinus milites
Inter latrones, pendulum statuunt.
Dum pendes medius matrem discipulo
Commendas, at ea concidit illico.

Ioan. 19.

Clamant Pontifices, illudit populus,
Hic iactat sedulo se Dei filium,
De nostris manibus nunc cum liberet,
Descendat de cruce, si Dei est filius.

Dum clamas, sitio, fel tibi porrigunt.
Post, consummatum est, dixisti languidus.
Expletis omnibus tunc uaticiniis,
Lassatis uiribus spiritus euolat.

Sol premit radios, terra mox contremittit,
Dum uitæ Dominum mors rapit improba,
Velum discinditur de summo ad infimum.
Sepulchris mortui patulis emicant.

*Luc. 23.**Mat. 27.*

Tum costas lancea miles aperuit.
Fluxit è uulnere mox sanguis & aqua.
Alter est hominis redempti pretium,
Altera criminum nostrorum lauacrum.

Ioan. 19.

Post hæc ad infima tartara subiens,
Opima retulit de morte spolia.
Agnoscent dæmones hunc Dei filium.

Act. 2.

Clausis in tenebris lux micat aurea.

Luc. 24.

Tum die tertia redditus superis,

Ioan. 21.

Sæpe discipulis uiuus apparuit,
Per dies plurimos inter incredulos
Versatus, sæpius cum illis comedens.

Mat. 28.

Ipsos instituens his sensum illuminat,
Ut scripta intelligant de Christo prodita,

Mar. 16.

Vulgari populis quæ iubet omnibus,

Act. 1.

Et sacris credulos ablui fontibus.

Nubes hunc lucida post coram omnibus
Palam uidentibus, in cælum sustulit,

Act. 10.

Ad patris dexteram filius affidet,

Mat. 25.

Venturus iterum, quò nos diiudicet.

Agnos ut segregat pastor ab hœdulis,

Iustos ab impiis sic pius eliget,

Lugebunt miserè, qui male uixerint:

Viuent perpetuo, qui bene fecerint. Amen.

fol.	pag.	lin.	Errata	Emendata
5	1	12	decætero	de cætero
21	1	22	lib. 9.	lib. 8.
53	1	3	cap. 9.	cap. 19.
53	1	29	aquam sanum	aquam sanam
68	2	11	precatus,	precatus,
68	2	13	repletum.	repletum